

Bl. 138.

COMMENTATIO HISTORICA

DE

GENIO, MORIBUS ET LUXU

A EVI THEODOSIANI

A U T O R E

PETRO ERASMO MULLER,
HAVNIENSIS,
PHILOS. DOCT.

P A R T I C U L A I.

HAVNIAE MDCCXCVII.

T Y P I S S C H U L Z I I

S U M T I B U S G R I E S H A M M E R I B I B L I O P O L A E L I P S I E N S I S .



SERENISSIMO PRINCIPI,
FRIDERICO CHRISTIANO,
DUCI HOLSATO-SONDERBURGENSI,
CUI, UNIVERSITATIS HAVNIENSIS
PATRONO,
MUSAS, VITAE SUAE MAGISTRAS,
FAUSTO PATROCINIO
REMUNERARE CONTIGIT,

HUNCCE LIBELLUM,
JUSTISSIMAE VENERATIONIS TESTEM,
SACRUM ESSE VOLUIT

AUTOR.

FINESTRA PEGNIPPI

CHARTA COPIA

ANNO MDCCLXVII

CHRISTIANUS HAMMUS

STABER

ALIAS SIBAR MUSICA

CHARTA COPIA

CHRISTIANUS HAMMUS

ALIAS PEGNIPPI

CHARTA COPIA

PRÆMONENDA.

Generis humani historiam sui studiosos, jucunda rerum avitarum notitia remunerari, atque utilissimis ad vitæ usum præceptis instruere, omnes facile largiuntur. In primis vero illa historiæ pars, quæ in moribus majorum pingendis, Et prisca vitæ domesticæ conditione adumbranda, versatur, magnam salubrium observationum opportunitatem videtur allatura. Mores enim antiqui, sive tuis exstiterint dissimiles; plurima instituta, quæ eventu frugifera imitari coneris, quæ exitu noxia fugere discas, sponte suppeditabunt: sive tuas proxime retulerint; quid de tuo sæculo absque partium studio judicandum, quid de eo sperandum metuendumque sit, illustris exempli documento declarabunt. Nihil tamen secius plurimi historiarum scriptores, civitatum incrementa, regnorum eversiones, civiles discordias armorumque vicissitudines, summa diligentia referre soliti; causas vel prosperæ vel adversæ fortunæ,

A

in

in moribus rerumque domesticarum statu plerumque latentes, aut omnino neglexerunt investigare, aut leviter perstrinxisse satis duxerunt. Horum itaque auxilio sere desituti, ad illos, qui aliud agendo aliquam œvi sui notitiam in scriptis hinc illinc sparsam reliquerunt, antiqua vitæ humanæ instituta enarraturi consurgere coguntur. Cum vero campus bonarum frugum feracissimus, magna sui parte incultus jacere, mihi quidem visus sit; me operæ pretium esse facturum credidi, si aliquid ejus novale meo qualicunque labore & studio subhigere aggrederer.

Id autem animo volventi vir doctissimus, cui ob eximiam, qua me prosecutus sit benevolentiam, optimaque, quibus studia mea moderari dignatus sit, praecpta, gratias satis dignas nunquam solvere potero, Moldenhaverus noster consilium suggesit; ut homilias Chrysostomi perlustrans, si quid in illis ad œvi istius indeolem cognoscendam ficeret, sedulo colligerem.

Opera itaque Chrysostomi a) perlegens, quidquid in illis ad rationem vivendi sentiendique, quæ aeo Theodosiano viguerit, illustrandam pertineret, anno-tandum sumsi. In qua quidem investigatione nescio, an hic mihi contigerit successus, ut quadam memoratu
haud

a) ex edit. Montefalconii Parisiis 12 voll. in fol.

haud indigna, præter ea, quæ jam congefferat Mor-
tefalconius b), obseruasse licuerit. Codicem Theodo-
fianum doctissimis Jacobi Gothofredi commentariū
inſtructū per volvi: libros quoque Juliani, Libanii,
Himerii, Themistii, Symmachi, Claudiani & Euna-
pii, consului; nec illa patrum ecclesiasticorum volumina
neglexi, quæ, ab Athanasio ad Salvianum usque exa-
rata, mores & luxum descripſerunt. Ævum enim
Magni Theodosii limitibus pauclo latioribus ita defini-
vi, ut ea, quæ illud proxime præcesserint, & regna
Arcadii Honoriique ad illam ætatem referre haud du-
bitaverim.

Narratione igitur ex hīc imprīmis fontibus
hausta, quinam fuerit ſæculi Theodosiani genius, quæ-
quam conditio, quibus artibus pueros, qua custodia
puellas enutriuerit; dein quomodo nuptiæ fuerint cele-
bratæ; tum omnem vitæ conjugalis rationem; effusam
denique in uestitu ædificiisque luxuriam ita describere
conatus sum, ut causas, unde haec vel illa instituta
fuerint exorta, nec non illos, quos aut salubres aut

A 2

noxios

- b) In dissertatione, quæ exstat in Memoires de l'academie des
inscriptions, tom. 13me p. 474-490. & in Synopsi eo-
rum, quæ in operibus Chrysostomi obſervantur, inserta
illius edit. oper. Chrys. vol. 13. p. 178-184. In pro-
logo ipſe faſsus est, Chrysostomum innumera ad mores
ſuæ ætatis pertinentia recenſere.

*noxios in moribus efformandis habuerint effectus, idem
tidem addere tentaverim.*

*Si vero judices harum rerum periti hocce tenta-
men calculis suis probaverint; secunda hujus opusculi
particula, vitam ejusdem cœtatis socialem, convivia,
festa, ludos scenicos & circenses etc. complexa ali-
quando prodibit.*



Cap.

C A P . I.

*Quædam in universum præmissa de moribus senato-
rum Romanorum — palatinorum — plebis
utriusque Romæ — hominum provincialium —
ecclesiasticorum — de disciplina Christianorum
morali — multiplici ætatis superstitione.*

Postquam Roma urbs, a parvis initis fortuna pa-
riter ac virtute provecta, eo usqve incrementa cepe-
rat, ut terrarum orbem jure qvodam suo cognomine
nuncupaverit; omnium regionum gentiumqve divi-
tias diu congestas cupidior hausit, & magnas pro-
vincias civibus nobilioribus, post munera urbana rite
peracta, pro lubitū pñne regendas commisit. Nec
vero provinciarum rectores, regiam potestatem adepti,
regias opes corraderē neglexerunt. Creverant igitur
in immensum patriciæ opes; qvæ vero, ut honores
auro venales domino pararent, & ludis exhibitis in-
gentes cunei applausus elicerent, larga manu iterum
funt

sunt effusæ: nec adhuc sub primis imperatoribus mos plebem, socios, regna, magnificentiæ studio colere exoleverat a); ut qvisque enim opibus, domo, paratu speciosus, per nomen & clientelas illustrior habebatur. Postquam vero pessimi Cæsares cædibus in illos sœvierant, qvos magnitudo famæ & inanem gloriam & certum exitium pepererat; ceteri ad turiora conversi, opes domestica luxuria consumere studuerunt. Hic moles in mare jecit, ille villam splendide exornavit; alias Cotyto, alias Veneri redditus dicaverat.

Interea tamen senatoribus via ad rem publicam bonis malisve artibus capessendam adhuc patuit, & ordo senatorius sub bonis principibus rerum summam visus est moderari. Dein vero imperatores, barbaris undique irruentibus, castra magis quam urbem freqventare coæti, in hac vel illa urbe provinciali sedem fixerunt; unde omnis fere munera obcundi spes romanis nobilibus præcisa fuit. Patricius enim delicatus gravem militiam detrectavit, & urbem æternam ac quotidianas circi oblectationes linquere in hanc vel illam provinciam, in qua imperator forte degerit, profecturus, vix sustinueret. Accessit præterea legis a Gallieno latæ auctoritas, quæ omnem senatoribus militiam prohibens, ne adire quidem exercitus illis permisit b). Senatores itaque Romani,

prisca

a) Tacit. ann. Lib. 3. cap. 55.

b) Aurelius Victor in Cæsaribus de Gallieno cap. 33. edit.

Arntzenii p. 405.

prisca quamvis ordinis autoritate & antiquo stemmate tumentes, omni feri potestate destituti a muneribus arcebantur: ut mirum non sit, illos, dum prædia sua ute pote Africana haud ipsis curare potuerint, negotiationem vero veluti vilem speraverint, vitam inanibus curis districtam aut gravi sopitam veterno omnes egisse c). Pars quidem senatus in novam imperii sedem cum Constantino migravit, at ingens numerus Romæ remanens ita molli otio indulxit, ut Ammianus Marcellinus d) gesta nobilium enarraturus, nihil præter ambitiosum vestium cultum, & carruarum decus, & mensæ splendorem, & in saltatrices munificentiam, memoratu dignum reperiret.

Aulae vero luxuria, priscam profusionem longe superans, militiam palatinam professos occupaverat. Primi enim Cæsares in sumtus immodicos quamvis effusi, pomparam tamen Asiaticam, nec sibi satis cogitatum, nec Romanis jugo haud assuetis facile ferendum, nequaquam adhibuerunt. Imperatores vero probi bonique, quibus Roma deinceps gavisa est, cultus sui simplicitate æque ac modico potestatis usu recipublicæ commodis consuluerunt. Postquam dein prætorianorum militum avaritia thesauros imperatorum exhauserant, homines quidem luxuriosi ex Asia oriundi imperium obtinuerunt. Illis autem brevi

reg-

c) Anrelius Victor de Probo cap. 37.

d) Lib. 14. cap. 6. lib. 28. cap. 4.

regnantibus, duces exercituum veteris disciplinæ asperitate insignes successere e). Denique rerum summa ad Dioclerianum pervenit; qui primus, sive ob instam animo superbiam, sive venerationis excitandæ gratia, omnem aulae orientalis pompam invexit. Hunc Constantinus f), Constantium filii imitati, eo usque processere; ut Constantius mille coquos, totidem tonsores & pincernas præter immensa eunuchorum mensiorumque examina, magnificis stipendiis aluerit g). Tandem Magnus Theodosius, hostibus debellatis, molli otio diffluere solitus h), fastum imperatorum, quem a Juliano sublatum sequentes Cæsares iterum revocaverant, ad summum fastigium evexit i). Nec mirum, filiberti ejus regnando impares, reverentiam cultus splendore sibi parare studerent, quam animi indole se unquam assecuturos jure desperarent.

Ita Arcadium juvenem imbecillem, cui eunuchi cubiculari imperitabant, si quando k) foras exire liberet, præverunt satellites, scutati, tribuni & duces, aureis

e) Synesius de regno p. 18. B. edit. Petavii.

f) Constantinus ob nimium luxum lacesitur in Cæsaribus Juliani. Les Cœsars traduits par Spanheim p. 141. remarques de Spanheim p. 474-78.

g) Libanius in necem Juliani edit. Reiske vol. 1. p. 565.

h) Zosimus lib. 4. p. 474. edit. Cellarii.

i) Ibid. cap. 28.

k) Id enim raro accidit. Synesius de regno p. 16. D. Latibilis vos lacertarum in modum continentis imperatores!

aureis togis induti, eqvis auro ornatis vecti, & aurea scuta, gemmis distincta, cum aureis lanceis ferentes; qui omnes, aulæ alumni, turbam civium abigendo imperatoris adventum declaraverunt l). Tum currus circumfuso famulitio cinctus eminuit, jugo mularum albarum auro fulgentium junctus: huic lapilli freqventes erant infixi m), & laminæ aureæ, motu tremulo agitatæ, in eo micuerunt n). Hæc quidem omnia artis miracula, & strati nivei candorem, tapetesque vehiculi sericos, depictis draconibus o) variegatos, multitudo, vel e longinquo stans, oculis attonitis spectavit p). Qvibus vero celebritatem eoram cernere contigit, omnes ad sacra principis ora tuenda conversi, auriculas inauribus pretiosissimis distinc-

l) Chrysost. vol. 1. p. 262. D. vol. 2. p. 545. B—C. vol. 11 p. 69. A. Proceres Constantinopolitani, more ex præsca clientarum consuetudine repetito, in aulam ab hora diei prima (nobis septima) usqve ad tertiam (nobis sere deciman) quotidie conyenire soliti erant Confr. Annotat. Reiskii ad Constantimum Porphyrogenetum de Ceremoniis. lib. 1. pag. 8.

m) οχημα λιθοκολλητου.

n) πεταλα τετρα περιστειομενα.

o) Nullo ut videtur jure, Montefalconius dracones in vestibus imperatoriis depictos deprehendisse sibi visus est, oper. Chrys. vol. 13. in synopsi p. 192. Dicitur enim plebs Chrys. vol. 9 p. 590. E. ab ornato vehiculi & draconibus depictis ad ipsum imperatoris ornatum oculos conjectisse.

p) Chrys. vol. 6. p. 295. D. vol. 9. p. 590. E.

distinctas, brachia armillis aureis exornata q), dia-
dema porro fulgorem lapillis variis emittens r), &
vestimentum purpureum gemmis in singulis commis-
sulis nitentibus ponderosum s), fibulae denique &
caleci splendorem t) tanta admiratione suspexere; ut
domi reduces plurima de flore purpuræ, gemmarum
magnitudine, strati fulgore & albedine mularum, in
circulis fuse differuerint u). In ipso autem palatio
tantra exhibita fuit magnificentia, ut naves onerariae
pariter ac vehicula terram aurosam ($\chiρυστιν$) e re-
gionibus remotis adixerint; quam exercitus haud
parvus per spatia palatii ita sparsit, ut pedes impe-
ratorii pavimentum ipsum aut solum nudum raro
calcaverint v.)

Palatini itaque, quos male plerumque artes ad
clarissimorum, spectabilium, illustriumque virorum
ordines

q) Les Cesars de Julien l. c. Lucifer Calaritanus de non pa-
cendo in Deum delinqventibus: in maxima bibliotheca p-
trum Lugduni 1677 vol. 4. p. 239. E. "num debemus
vereri diadema tuum, inaurem, dextrocheria?" Hinc Sy-
nesius lucem mutuat, gemmarum usum in vestitu impe-
ratorio multiplicem enumerans. De regno p. 16 A.

r) Chrys. vol. 1. p. 117. D. vol. 2. p. 623. B.

s) Chrys. vol. 2. p. 545. C. Synesius de regno p. 16. A. tu-
nicam imperatoris lapideam vocat & diras homericas in
illum quadrare ait. Iliad. lib. 3. v. 57. Λαῖψας επειο κιτώνα.

t) Chrys. vol. 6. p. 295. D. vol. 9. p. 590. E.

u) vol. 8. p. 67. C.

v) Synesius l. c. p. 16. C.

ordines x) evexerant; imperatoris exemplum imitati, autoritatem sibi eadem ratione quæsiverunt y): ita ut provinciae misere, & mercedem sue prefecturæ eunicho potenti pendendam z) solvere, & pecuniam sumtibus rectoris magnificis suppeditare, temporum injuria fuerint caecæ. Viri autem primarii utramque militiam profesi, in primis die principis natali, summo vestitus sui nitore favorem imperatorum auctpare studuerunt a). Sumtibus itaque in titulos & vanos honorum ambitus, spectacula quoque & delicias, maximis impendendis facultates suas ita exhausserant; ut brevi ad summam inopiam redacti, ad

qvod.

x) De hisce titulis conf. notitia dignitatum imperii romani cum notis Pancirolli. Genevæ 1623. pag. 14.

y) Chrys. vol. 2. pag. 512. B. vol. 3. p. 77. D.

z) Claudianus Eutropium vividis coloribus veluti honorum insitorem depinxit. In Eutrop. lib. 1. v. 199.

Hic Asiam villa pactus regit; ille redemit

Conjugis ornatu Syriam: dolet ille paterna

Bithynos mutasse domo. Suffixa patenti

Vestibulo pretiis distingvit regula gentes

familia de Rufino lib. 1 in Ruf. p. 181. Idem Stiliconem celebrat, qvod hanc pestem in occidente grassantem repinxerit. In 1 consulatum Stilich, lib. 2. v. 116.

— — — nec te gurses corruptior ævi

Traxit ad exemplum; qvod jam firmaverat annis

Crimen, & in legem rapiendi veiterat usus. —

mali vero labes nova procul dubio incrementa, occiso Stilichone, cepit. conf. criminaciones Zosimi in Theodorum lib. 4. cap. 28.

a) Ambros. oper. vol. 5. p. 5. C. edit. Parisis 1632.

qvodvis audendum fuerint impulsi b). Cum præterea duces barbari, qvi ab ævo inde Theodosii dignitates palatii arripiuisent c), vitiis aulicis nativam suam ferociam addiderint: factum est, ut vitia palatiorum, qvæ ætate Constantii in tantum succrevisserent; ut illorum veluti seminarium singuli teste Ammiano Marcellino d) aluerint; post mortem Juliani iterum pullulare coeperint, donec ætate Theodosii, & eo in primis defuncto, maximum e) attigerint fastigium.

Nec minus interea Romana plebs a majorum virtute inertí otio degeneravit: qvippe cul, Ammiano teste f), & templum, & habitaculum, & concio, & cupitorum spes omnis, circus esset maximus. Plebs enim urbana annones civicis g) pane scilicet cocto & oleo, qvæ liberalitate principis cum magno

pro-

b) Excerpta de legat. ex historia Prisci in oper. Labbe de Byzantinæ historiæ scriptoribus, Parisis 1648, p. 35.

c) Synes. de regno p. 23.

d) Lib. 22. cap. 4. p. 290. edit. Bip.

e) Chrys. vol. 1. p. 118, C. rex mores suos conformat ad mores ducum satellitum & scutatorum, hominum vino servientium, voluptatibus indulgentium, bonam diei partem in potu conterentium. Claud. in Eutrop. lib. 2. p. 325-405 lepide descriptis concilium bellicum qvod coegerat Eutropius, cnfr. Zosimus lib. 4. cap. 33.

f) Amm. Marc. lib. 28. cap. 4. p. 158.

g) Cod. Theod. lib. 14 tit. 15 de canone frumentario urbis Roma & tit. 17 de annonis civicis & pane gradili.

provinciarum incommodo diurna erogabantur, sustentata, omnem vitam vino & tesseris & lustris & spectaculis impendit h), extrema qvævis, si annonæ defecissent, ausura.

Panem vero & circenses, qvæ plebi aliquando terrarum dominæ ex antiqua saltem consuetudine concessa fuerant, Constantinus civibus quoque urbis a se conditæ cum maximo reipublicæ damno largitus est i). Hunc scilicet gloriæ captandæ studium stimulaverat, ut Romam novam in omnibus veteri æquaret, & applausu multitudinis cibo vinoqve replete in theatris exciperetur k). Luxuriæ vero desidiae & furorum theatralium pestis, qvæ jam in urbis initiosis gliscere cooperat, temporis decursu latius latiusqve serpsit.

Statum provinciarum sub régno Theodosii & aliquot dehinc annos mente perlustrare conanti, primo quidem tanta fæse offeret in ædibus publicis magnificentia, in ludis profusio, in toto denique virtutum cultu mollieries, per tot terrarum spacia diffusa, quam vix ætas ulla regionum amplitudine parem exhibuerit. Nam coeli quidem temperies & solum foecundum ab antiquo inde tempore mentes Asiarum molli luxu

h) Amin. Marc. I. c.

i) Cod. Theod. lib. 14. tit. 16 de frumento urbis Constantinopolitanæ, tit. 17. annonis civicis.

k) Eunapius in Aedesio p. 41. edit. Commelinii in gvo. 1696.

luxu infregerant: sed bella cruenta a regibus fuerant debellata, gentesque exteræ, temporis demum cursu emolliendæ, armis victricibus Asiam sive ipsius edomuerunt. Postquam autem Romani orbis imperium obtinuerant, plurimæ urbes, & in Asia & in coeteris provinciis, nullum hostium exterorum impetum per quatuor saecula expertæ sunt: nec ducum de principatu contentiones, unico plerumque prelio direntæ, cum magna provinciarum clade gestæ fuerunt. Hinc factum est, ut artes luxuriæ, quas pax tranquilla foveret, ad æratem usque Theodosii continuis incrementis fuerint adiunctæ.

Hoc præterea ævo mercium permutationem, quæ luxuriæ veluti alimenta subministrat, magnam fuisse constat. Hinc Alexandria magnam mercium Indicarum copiam Nilo a Thebaide devectam accepit, coeterisque urbibus distribuit 1). Illinc civitates Persidi contiguae, maximo cum Persis 2) commercio usæ, divitias accumulaverunt. Tum mercatores, qui longas periculosaque navigationes ob filia serica suscepisse dicti sunt 3). Mare enim rubrum, teste Hieronimo, navigantes 4), si felici cursu usi fuerant, post sex menses portum urbis maximæ

oceano

1) Expositio tetius mundi. edit. Gothofredi cap. 18.

2) Exempla præbebit expos. cap. 16, 19.

3) Chrysl. vol. 7 p. 510, C.

4) Hieron. op. edit. Vallarsi. Verona 1734. vol. 1. ep. 125.

oceano contiguæ tenuerunt; per qvem vix anno integrō ad Indiam & Gangem fluvium pervenire licuit. Ibi carbunculi, & smaragdi, & margaritæ candentes cum unionibus gigni, rumore vulgari ferebantur; montes qvoqve ibi esse aurei, qvos propter Gryphas, & dracones, & immensorum corporum monstra adire non liceret. In hanc igitur regionem mercator delapsus, pulejum aliasqve res, qvibus Indi egerent, cum folio amomi, pipere, vellere ferico aliisqve rebus permutavit p). Multa præterea vestimentorum genera, in remotis ditionis romanæ civitatibus confecta, ubivis gestare usu invaluerat. Ita Scythopolis, Laodicea, Biblus, Tyrus, Berytus, civitates Syriæ lanificio inclytæ, linteamenta in omnem orbem Romanum emiserunt q): vestem leporinam & pelles Babylonicas Cappadocia omnibus suppeditavit r): vestes Noricae ex Norico s), Byrras ex Brytria allatas t), & Asiani & Galli gestaverunt. Variarum vero vestium ingenter copiam Hispania, Mauritania & Numidia, fabricaverunt u). Singulæ itaqve urbes

maxima

p) Hieron. in Es. 66 vol. 4. p. 828. D. Chrys. vol. 11. pag. 652, E, ex fructibus, qvi apud nos in pretio sunt, qvidam adhuc preciosiores in regione Seroruin.

q) expos. cap. 17 §. 12.

r) ibid. cap. 21.

s) ibid. cap. 47.

t) ibid. cap. 40.

u) ibid. cap. 50, 51, 52.

maxima negotiatorum copia abundaverunt v); quo-
rum commodis magna imperii saltem orientalis parte
ita fuerat consultum, ut milites, jaculo & fundo
armati, viarum custodiam sub certis ducibus die age-
rent, noctu vero vigiles, in ædicolis per viam publi-
cam mille pasibus a se invicem disjunctis colloca-
tis, omnem latronum impetum facile propulsarent x).

Ipsi quoque magistratus, & urbium splendori,
& provincialium hominum voluptatibus, summopere
consuluerunt. Ut ædes scilicet magnifice extruc-
tæ y), titulis præfixis, conditoris nomen posteris tra-
derent; & animi plebeculae, ludorum editionibus
delinitæ, hominem rapacem & iniquum facilius fer-
rent z). Plebecula igitur, in omnibus fere imperii
Romani urbibus theatrorum cuneis per dies integros
affixa, otio inerti aut curis inanibus emarcuit a): magi-
stratus

- v) Salvianus de gubernatione Dei p. 87, edit. Baluzii, Paris, 1684. Chrys. nundinas commemorat Anthiochiae perac-
tas vol. 1. p. 494, A. vol. 4. p. 316, C.
- x) Hæc refert. Chrys. vol. 1. p. 189, C. D. de via quæ a Chal-
daea ad Palæstinam usqve patuit. vol. 4. p. 84, A.
- y) Qvod provinciarum rectores tanto studio ad nova opera
erigenda festinaverint, ut ædes veteres neglexerint sarcin-
re, edicta imperatorum testantur, de hac re sèpius pro-
mulgata. Cod. Theod. lib. 15, tit. 1 lex 3, 15, 16, 17,
21, 27, 29, 37; prohibetur quoque lib. 15, tit 11, lex
1, 14. ne spoliis unius civitatis alteram exornarent.
- z) Libanii orat. de vincis vol. 2. edit. Reiskii p. 454.
- a) Salvian. de gub. lib. 6. p. 184.

stratus vero, acclamations in suum honorem audire
gestientes, tempus judiciis dandum in theatris con-
sumserunt b); & gnari, se magnis ludorum expensis
auram popularem facile captaturos, multa & iniqve
& crudeliter committere ausi sunt. Civium itaque
conditionem spectantes, statum provincialium miser-
rimum fuisse facile deprehendimus. Nova enim tri-
butorum genera subinde fuerunt excogitata, ut, era-
rio mercede barbaris solvenda exhausto, ampla pecu-
niae vis splendori principis præfectorumque rapacitati
iterum abundaret. In singulis vero civitatibus opti-
mates decurionum nomine insigniti c) annonis exigen-
dis ita incubuerunt, ut onus, cui seipso subtraxis-
sent, omne pauperioribus ferendum imposuerint d).
Nec multum in judicibus auxiliu aderat, qvippe qvos
decuriones horis pomeridianis domi convenire, ibi-
que causam, aut numerata pecunia, aut par obse-
quium pollicendo, perorare consuevissent. Qui
qvidem in domos judicum ingressus tam male audie-
runt,

b) Cod. Theod. lib. 1. tit. 7. lex. 2. Absit, ut judex popu-
laritati & spectaculorum editionibus mancipatus, plus
iudicris curæ tribuat, quam seriis actibus. Libanius de
vincit vol. 2. p. 453. acerbe de illis judicibus conve-
nitus est, qvi, neglectis negotiis suis, ludos frequen-
tent. Contra illos exstat rescriptum Theod. Mag. Codi
Theod. lib. 15. tit. 5. lex. 2.

c) De decurionibus cnfr. cod. Theod. lib. 12. tit. 1. paratitione.

d) Salvian. de gubern. lib. 5. p. 103 seqv.

runt, ut Gratianus Augustus, ullum provincialium pomeridiano tempore judicis domum frequentare, edicto prohibuerit e). Nihilo tamen secius Libanum duodecim dehinc annos (389) in eandem conservudinem, non sine magno civium detrimento grassantem, inventum fuisse reperimus f)

Cives itaque tenuiores in summas augustias redacti, aut, rebus suis relictis, aufugerunt, apud Barbaros Romanam, ut ait Salvianus g), humanitatem querentes; quia apud Romanos barbaram inhumanitatem ferre non potuerint. Aut sepius majore suo infortunio, ne agellos defererent, se optimatis tradiderunt protegendos, quibus omnem rem familiarem, antequam auxilium experirentur, addicere coacti fuerunt. Filii vero, quamvis fundis avitis spoliati, nihilominus amissorum agellorum tributa justi pependerunt, donec, fame urgente, inquiliini divitum, in servorum conditionem mox transfici, evaderent h). Colonorum autem numero hanc ratione semper adactro, tandem effectum est, ut omnes fere agricolæ, praediis natali forte per omnem vitam

e) Cod. Theod. lib. 1. Tit. 7. lex. 6.

f) Libani orat. adv. ingredientes & adversus assiduos: exstat quoque de eadem re rescriptum Honorii Cod. Theod. lib. 1. tit 8.

g) De gubernat. Dei lib. 5. p. 104.

h) Ibid. p. 110-112, cnfr. Gothofred. ad Cod. Theod. lib. 5. Tit 10. p. 459.

vitam adstricti, arva domino magis quam sibi subegerint, & viræ suæ statu a servorum conditione proximo absuerint intervallo i). Postquam igitur ingentes domino redditus diuturnis laboribus confecerant, mercedem exiguum reportaverunt; unde victum sibi necessarium, præter vectigal gravissimum & domino & principi pendendum, prospicere debuerant k). Tanta itaque cum inedia perpetuo conflicti sunt, ut concessionares, freqvens jejunium sanitati haud

B 2

obesse,

i) Accuratissime de colonis egit Gothofredus in Paratitulo ad cod. Theod. lib. 5. Tit. 9. attamen omisit, quæ de iis habeat Chrys.

k) Chrys. vol. 7. p. 614. A. " Quid iniquius reperiatur iis, qui agros possident, & erga miseros agricultores se barbarem inhumaniores exhibent. Nam iis, qui fame tabescentes per totam vitam laborant, vectigalia imponunt intolerabilia & ministeria laboriosa; veluti astinis & misericordiis, imo velut lapidibus ipsorum corporibus utentes, — B — Quidquid miserabilius fuerit, quando, tota hyeme in labotibus transacta, frigore, imbris ac vigilis attriti, vacuis manibus adhuc debitores recedunt! procuratorum tormenta, raptationes, exactiones & inevitabilia ministeria magis simentes, quam tantam famem. — Ex ipsorum laboribus divites torcularia & subterranea replent, dum non sinunt ipsos vel parvam mensuram domum referre, sed omni fructuum iniquorum copia in doliis suis inclusa, modicam pecuniam pro hac re ipsis proficiunt." Interduin rusticani patrocinio ducis alicuius freti vectigalia pendere decrectaverunt Cnft. Libanius de patrocinis vicorum vol. 2. p. 499. seqv. & leges imperat. ibi allatas p. 495-497.

obesse, illorum potissimum exemplo evincere allaboraverint l). Si miseri coloni in agris herilibus colendis segnes deprehensi fuissent, poenas, ex omnium consensu promeritas, castigati subierunt m). Si forte adversus avaritiam domini missitavissent, mox catus vinciti, a militibus, quos paucæ domini syllabæ ex urbe evocaverant, in carcere urbanos conjecti fuerunt n). Tum uxores & filiae in summam inopiam redactæ, extrema quævis sustinere cogebantur, ut alimenta suppeditarent, quæ præter lentes & olera parce admodum carcere inclusis data sunt o): grande præterea pretium commentariensi solvendum, ut vel unum lychnum omnibus communem accenderet p). Huic vero solvendo impares, commentariensis verbetibus male mulieratos coegerit, ut in genua procidentes, mulierculas misericordes, per vincitos forte digressas, stipem in ejus commoda rogarent q). Denique postquam coloni, a judicibus cura spectaculorum districtis r) omnino neglecti, diu in carcere continerant, locorum augustis & foetore enecti, vitam miseram finierunt s).

Qvo

l) Chrys. vol. II. p. 329. C.

m) Chrys. vol. II. p. 117. B.

n) Liban. orat. de vincitis, vol. 2. edit. Reiskii p. 442.

o) I. c. p. 445.

p) Ibid.

q) I. c. p. 446.

r) I. c. p. 444.

s) Ibid.

Qvo magis itaque fastigium Romani imperii ruinam versus vergere cooperat, eo magis provinciae negligi; tributa augeri; pauperes opprimi t); divites crescere; morum honestas pelli; divitiae male partae larga manu in voluptates iterum effundi; omnes, hi, ut malos obliviscerentur, illi, ut opes ostentarent, quamvis hostes proxime abessent, pari Circensium insania ardere u); luxuriæ denique libidinisque lues etiam ad illas provincias serpere, quæ situ asperiores, propinquis hostibus pugnaces, morum simplicitatem diutius retinuerunt v).

Crescenti itaque morum depravationi, quam summam existisse, scriptores istius ævi gentiles pariter ac Christiani uno ore fatentur x), nec ecclesiastico-

- v) Quinam status fuerit provinciarum, in Oriente sub Theodosio juniore, in Occidente sub Majoriano, patet ex Prisci historia Gothica apud Labbe. de Byzant. hist. scriptor. Parif. 1648. p. 60 & Novella Majoriani Tit. 4. ad calcem Cod. Theod. vol. 1.
- v) Exemplum Augusta Trevirorum afferit, Salvian. de gubern. lib. 6. p. 143. coll. p. 147.
- v) Julian. in Misopog. p. 342. A. edit. Spanh. Lutetiaro Parisiorum ob morum simplicitatem laudibus evexit. Salvianus vero, annis 80 elapsis, perditos Gallorum mores exagitavit de gubern. lib. 6. p. 139-144.
- x) Zosimus Lib. 4. p. 450. edit. Cellarii. Salvian. de gubern. lib. 3. cap. 9. p. 57. "Quorumque invenies in ecclesia, non aut ebriosum, aut helluonem, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem, aut latronem, aut homicidum,

Sicorum ordo, quamvis se virtutis monitorem profiteretur, nec disciplina Christiana, licet mira præceptorum severitate insignis, occurrere potuerunt.

Qvicunqve in primis Christianorum coetibus cognitionis penu solito majori & medica dicendi facultate eminuerant, doctores fuerunt constituti. Ad hos reliqui, ne aliquo dæmonum cultū polluerentur anxii, identidem consulrum accurrere: eosdem, de regno Messiae mox inaugurando y), deque virtutibus Christianorum magnifice tum remunerandis disserentes, lubenter admodum audire. Hinc vero doctoribus, vitam Christianorum consiliis, ærumnas eorum solario, temperare solitis, nec auctoritas, nec gratia defuerunt. Illis igitur largitionum cura, quas plurimas pauperibus fieri, prima societatis Christianæ conditio postulaverat, sicut demandata; & multæ lites inter Christianos exortæ ex arbitrio illorum compositæ. Arcana porro mysteria, in quibus sacerdotes res gravissimas coeteris conferre visi sunt, maximam illis, qui talia administrarent, reverentiam non potuerunt

dam, & quod his omnibus pejus prope hæc cuncta sine, sine — p. 58 — facilius invenies, qui torum sit quam qui nihil; reos majorum criminum quam minorum," Chrys., vol. 9, p. 198, B. "in tot hominum milibus (qui Antiochiae degenerunt) non sunt centum, qui salutem consequuntur, sed de illis etiam dubito," y) Etiam Chrys. regnum messianum brevi inaugurandum expectavit vol. 7, p. 267, vol. 8, p. 200, B. vol. 12, p. 198, D.

tuerunt non comparare. Cum denique Christiani, æque ac multi Græcorum mysteriis z) initiati, crediderint, nullam extra suam societatem salutem esse exspectandam; sacerdotibus, qui homines & in coetum recipere, & inde abigere possent, potestate in de æterna hominum salute judicandi adesse existimaverunt. Non igitur mirum videri debet, si mortales, quos ingens hominum societas plurima reverentia persecuta sit, ipsique imperatores huic sectæ addicti, summo & loco & honore habuerint; & ipsi se munere suo fastigium humana conditione paullo altius a) occupare crediderint.

Verum

z) Afferuit Preclus, gyencunq; hominem non initiatum in gurgitem taurorum esse immergendum: plura de his vid. apud Spanheim les Cesars de Julien, preuves des remarques 953. p. 134. edit. Amstelod. 1728. Locis ab eo allatis addi potest hymnus dictus Homerius in Cererem de mysteriis Eleusiniis v. 486-88.

Ολβιος, οτ ταδ' οπωπευ επικθονιων ανθρωπων.

Ος δ' ατελης, ιερων οτ τ' αμμοροσ, ουπος' ομοιν

Αισαν εχει, φθιμενοσ περ, υπο ζοφω ευρωεντι. —

a) Chrys. vol. 1, de sacerd. lib. 3. p. 382. B. "sacerdotium in terra peragitur, sed coelestium ordinum classem obtinet. — B. — cum videris dominum immolatum & jacenter, & sacerdotem sacrificio incumbentem ac precantem, omnesque pretioso illo sanguine rubentes, an putas te adhuc in terra esse, annon potius in coelos translatum?" Ibid. lib. 6. p. 424. D. Chrys. credidit angelorum agmina sacerdotem hoc munere fangentein stipare.

Ibid.

Verum enimvero inter Christianos vix unquam in clericis arrogantia, in laicis veneratio, tale culmen attigisse videntur, quale in nonnullis Neoplatonicorum scholis, huic ætati proximis, obtinuisse constat. Harum enim magistri, dum futurorum præscientiam b) & divinum afflatum c) identidem jaſtarent; a philosophiae studiosis tanquam insigneſ miraculorum patratores d), futurorum optime præſcii e), & familiari Deorum commercio ultra fortem humanam longissime evecti f), cæco obſeqvio & ſumma habiti fuerunt veneratione. — Servituti igitur longe turpisimæ genus humanum adſtrictum fuifer,

ſi

Ibid. lib. 3. p. 384. A. evincere ſtudet, neminem, qui egenam ſacram non deguſtaverit, ad paradiseum pervenirum; ergo ſine opera facerdotum neminem aut gehennæ ignem effugere, aut reponitas aſſeqvi poſſe coronas.

b) Exempla de Jamblico narrat Eunapius p. 25-26.

c) Eunap. de Ædēſio in Chrysanth. p. 205.

d) Eunap. Jamblich. p. 26.

e) Eunap. de Ædēſio p. 205. "Tanta erat Ædēſio cum nūmine affinitas, & qvidem adeo promta & obvia, ne oracula vera, hexametrī composita (προστοκαλλισον εἰδος εὐθες πυγευματος γεγεραμμένος) ſolem modo aſpec- pants fundere: quanq̄vain nec verſuum legem ſcire, nec grammatices præcepta calleret," Hæc qvidem circulatoris præſtigia ſapiunt.

f) Eunap. in Chrysanth. p. 188. philoſophos, qui Apollonium Tyaneum fecuti, hunc pro Deo coluerant homines vocat plane diuinos, qui tamen mortales & corporibus induiti videbantur.

si sacerdotes philosophi, quos Julianus imperator hisce magistris eductos per orbem Romanum constitui curaverat g), longiore temporis intervallo munera sua retinuerint.

Postquam vero res Christianorum Juliano demortuo iterum effluerant, ordo hominum, qui ambitioso honores, avaro divitias h), faciles ad foeminas aditus mulierofo i) suppeditavit; versatissimum ad se quemque non potuit non allicere. Plurimique itaque homines facinorosi hisce de causis ad sacerdotii gradus capessendos aspiravere; & episcopatus in primis fastigium attingere conati, nec pecuniae effusionem k), nec ambitum sollicitum, nec ullam rem

pravam

g) Maximus philosophus non minus Juliani favore tumuit, quam ullus unquam in aula imperatorum Christianorum episcopus. Eusap. Maximus p. 97-98.

h) Hieron. vol. 1. ep. 125. ad Rusticum p. 932. A. ep. 52. p. 262. B.

i) Hieron. vol. 1. ep. 22. p. 110. C.

k) Chrysostomus multos in Asia offendit episcopos, qui omnem rem familiarem in episcopatu coemendo consumserant; ne quidem inauribus uxoriis suarum pepercerant. Sozomenes lib. 8. cap. 6. Chrys. vol. 9. p. 30. B. "Nunc episcopatus velut externos honores affectamus." Sidon, Apoll. lib. 4. ep. 25. tres Presbyteros episcopatum in Gallio ambientes ita describit: "hic antiquam natalium prerogativam reliqua destitutus morum dote ructabat. Hic per fragores parasiticos, culinarum suffragio comparatos, Apicianis plausibus ingerebatur. Hic, apice votivo si potiretur, tacita pactione promiserat ecclesiastica ploribus suis praedia praedae fore."

pravam rectamve reliqverunt intentatam. Munus
igitur, malis artibus paratum, eo in primis studio
gesserunt, ut luxuriosos lautis epulis ¹⁾, splendida
pompa optimates vincerent. Qvod qvidem ita ex
voto successit, ut militum duces civitatumque judi-
ces ad convivia clericorum, exquisitissimis ciborum
deliciis nulli fere alii præ nimio pretio comparandis
referta, lubentissime accurrerint ^{m)}, homines vero
plebeji, si episcopum curru sublimem ingenti comi-
tatu stipatum, eminus vidissent, illius ceu bellue oc-
cursum, in devium iter flectentes, declinaverint ⁿ⁾.
Episcopus autem invidiam hinc conflatam, domos
Christianorum plus quam viri forenses circumneundo,
tollere conatus est. Multi enim non ægri solum, sed
eriam bene valentes, haud pietatis sed honoris causa
se invisi gestierunt; dum alii episcopo domos percur-
renti palpatoris & adulatoris notum inurere haud du-
bitaverunt ^{o)}.

Inter clericos vero minorum ordinum, hi ne-
gotiationibus ^{p)} & usuris ^{q)} ditescere conati sunt,
illi,

1) Hieron, vol. 6, p. 457. D. F.

m) Ibid.

n) Greg. Nazians, orat. 32. p. 526. A, edit. Morellii, Coloniae 1690. Ammian. Marcell. de pontificibus Romanis lib. 27. cap. 3. p. 107. edit. Bip. vol. 2.

o) Chrys. vol. 1. p. 400. B.

p) Cod. Theod. lib. 13. tit. 1. lex. 1. & Gothof. comm. p. 5. col. A.

q) Cod. can. Just. can. 17.

illi, viam compendiariam ad magnas opes ituri, senes
 anusque prædivites liberis orbos turpi servitio colue-
 runt r). Alii, domus viduarum pupillarumque fre-
 quentantes, crebra munuscula & dulces litterulas,
 seqve "mel meum, lumen meum, meum desiderium"
 dicitari, eo usque haud detrectaverunt s); ut lege
 Valentinianni, quamvis frustra t), sancitum fuerit;
 ne ullus aut ecclesiasticus aut monachus tales domos
 adiret, nec e testamento mulieris religiosæ ullam ca-
 perer hereditatem u). His omnis, inquit Hierony-
 mus v), cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa
 "pelle non folleat; crines calamistri vestigio rotantur;
 "digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior
 "via spargat, vix imprimunt summa vestigia." Alii
 rursus diligens studium omnemque vitam impende-
 runt, ut matronarum nomina domos moresque cog-
 noscerent. "Hujusmodi fæcēdōs cum sole" ait Hie-
 ronimus, "festinus exsurgit, salutandi ordo ei dispo-
 "nitur, viarum compendia reqviruntur, & pene us-
 "que ad cubilia dormientium senex importunus ingre-
 ditur.

r) Hieron. vol. 1. ep. 52. p. 259. C. "ipſi apponunt metu-
 "lam, obſident lectum &c."

s) Hieron. ep. 52. p. 258. inter munuscula enumerat fæcē-
 "la, & fasciola, & uestes ori applicatas, ac cibos de-
 gustatos.

t) Hieron. enim litteras suas post legem promulgatain exaravit.

u) Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. lex. 20.

v) Hieron. ep. 22. p. 110. D.

ditur. Si pulvillum viderit, si mantile elegans, si aliquod domesticæ supellectilis, laudat, miratur, at trecent, non tam imperat, quam extorqvet, quia singulæ metuunt veredarium urbis offendere." Denique permulti, tam sacerdotum ministerio funeti, quam monachorum ordinem amplexi x) professionem abstinentiae jactantes, virginibus subintroductis gavisunt: illasque quamvis canonibus synodorum veritas y), imperatorumque rescriptis prohibitas z) perpetuas vitæ solitariae socias retinuerunt.

Verum enimvero licet ecclesiasticorum classem communii vitiorum labi infectam fuisse a) satis superque patet: eundem tamen ordinem plurimos protulisse viros vitæ innocentia cultusque asperitate insig-
nes b), nec paucos doctrina laudabiles, ingenio præ-
stantes,

x) De his Hieron. ep. 125. p. 930. A, de illis. id. ep. 22.

y) Conc. Nic. can. 3. Con. Ancyrr. can. 19.

z) Cod. Theod. lib. 16. tit. 2. lxx. 44. & Gothof. ad loc.

a) locis hactenus de vitiis clericorum allatis addi possunt Chrys. vol. 12. p. 154. B. & Ephraim Syrus vol. 1. p. 111. seqv. (Romæ 1732.) de monachis vitiiosis. Hieronymus vero id etiam veluti magnum ecclesiasticorum crimen retulit, quod omisitis evangelii & prophetis comedias legerent, amatoria Eucolicorum versuum verba canerent, tenerent Virgilium, & id quod in pueris necessitatis esset, id voluptatis crimen farent. Hieron. ep. 21.

b) Ainn. Marc. lib. 27. cap. 3. vol. 2. p. 107. de sacerdotibus provincialibus. Quod monachos attinet cnfr. ut de Casiano taçeam, de monachis Thebaidos Chrys. vol. 7.

p. 126.

stantes, incredibili constantia claros *) foviſſe, nul-
lus iudex paulo æqviōr facile inficias ibit. Cato
Censorius c), mutatis temporibus redivivus, Chry-
ſostomi personam gerere haud fuifſet dedignatus.
Nec Ambroſius Theodosium ob crudelitatem fortiter
increpans, Athenodoro, ſevero Octavii Cæſaris mo-
nitori d), nec Gregorius Nazianzenus, ſedem epi-
ſcopalem ſponte linqvens, Mefſala Corvino, primo
urbis e) præfecto, diſplicuiffent. Lites vero iſtius
xeratias ecclieſiaſticas animo pervolvens, ſtultitiam forte-
clericorum riſerit; attramen eorundem in placitis, qvæ
edicta imperatoria damnaffent, amplectendis audaciam,
& animorum in iisdem, licet poenæ imminuiffent, tu-
endis firmitatem veluti rara libertatis dudum defunctæ
veſtigia non poterit non admirari. Cum denique cle-
ricorum fere omnes morum disciplinæ, qvam sacri-
ſificuli Romani omnino neglexiſſent, tradendæ diligenter
incubuerint; plurimi præterā ſummam vitæ ſanc-

titarem

p. 126 ſeq. aſperitatis vite monaſtičæ ſimpliſ deſcripſio
Chryſ. vol. 1. p. 180. D. E. de eorum laboribus vol.
7. p. 706. B.

c) Cnfr. ejus oratio adverſus mundum maniebrem Liv. hiſt.
lib. 34. cap. 1-4.

d) De Athenodoro qvædam collegit Spanheim. Ies Cefars p. 200.

e) Euseb. olymp. CLXXXVIII. "Mefſala Corvinus, primus præ-
fectus urbi factus, ſexto diu e magistratu te abdicavit
"incivilem potestatem eſſe confeſſans."

*) V. c. Luciferi Calaritani in imperatorem Conſtantium ora-
tiones, fi audaciam ſpectamus, vere Philippiæ.

titatem externa saltē specie adumbrare studerint: hi homines ad bonum rectumque excitandum, soven-
dum augendumque, non parum contulisse videntur; vel teste Julianō imperatore, qvi sacra avita restau-
ratus, exemplo Christianorum suis sacerdotibus ad
imitandum proposito, multa ex illis instituta mutuare
nullus dubitavit f).

Si vero disciplinam moralem a sacerdotibus Chri-
stianorum traditam paullo accuratius inspicere velimus;
totum ad antiquorem ecclesiae Christianum statum con-
positam fuisse facile reperiemus. Qvicunqve enim vel
Græci vel Romani ad sacra Christianorum transfe-
rant, prima jam institutione didicerunt, se olim dæ-
mones turpi sævitio coluisse. Catechumeni igitur,
horrore correpti, vitam anteactam acerbe lugere; &
sacra unda initiati sollicitam adhibere curam, ne le-
visima idolatriæ labé amplius inficerentur: hinc
amicorum convivia libaminibus auspicata detrectare,
Iudos publicos & festa sollennia veluti totidem ad
dæmonum cultum lenocinia exsecrari; resqve munda-
nas præ exspectatione regni Messiani omnino sper-
nere. Qvanto magis igitur aliquis sectæ Christiano-
rum addictus oblectationum fugam professus est, tan-
to penitus disciplinam Christianam haussisse dictus.

Nimiam vero morum severitatem his initii ex-
ortam, exitiali scriptorum qvorundam morosorum

aucto-

f) Juliani epist. 49. fragm. ep. 63.

auctoritate adiunctam, persecutionum vi & locis sacri codicis in pravum sensum detortis firmatam, admiratio vitæ monasticae post tria saecula elapsa in majorem adhuc severitatem provexit. Postquam enim mira vita asceticæ insanæ, veluti pestis quædam ex Ægypto profecta, omnem orbem Romanum invaserat, summa mortalium perfectio in maxima vitæ asperitate latens g), & uniuscujusque vivendi ratio, quo institutis monasticis similior, eo minus a perfectione remota, communi omnium consensu ferebatur h). Ætate itaque Theodosii concionatores Christiani, hinc perfectionem monasticam somniantes, illinc effusam Christianorum in voluptates libidinem exosi i), virtutis

g) Chrys. vol. 7. p. 126. A. "Sexcentos angelorum choros
"humana forma in deserto Ægypti invenies." vol. 1. p.
121. B. "Rex bonus minorem salutem, minorem honorem
"sortietur ac bonus monachus;" in coeteris quoque rebus rex monacho inferior probatur. Omnia porro, quæ olim Stoici de philosopho solo sapiente felici, rege, ultra vicissitudines humanas evecto prædicaverint, Chrysostomus in monachos quadrare ostendit vol. 1. p. 65-67.

h) Chrys. vol. 1. p. 110. D. "Si homini e multitudine nacto
"vitam eorum enarramus, qui in desertis versantur; ad
"haec nihil, quod obseruat, habet: sed modo contendit
"de paucitate eorum, qui ita perfecte se gerunt."

i) locus exstat memorabilis de probabili vitæ monasticae necessitate Chrys. vol. 1. p. 53. D. "Vellem evidenter ipse,
"nec minus quam vos, inio multo magis, & frequenter
"optavi, monasteriorum necessitatem tolli: leges & jura
"optima tantum in civitatibus valere, ut nemini jam
"opus

tutis imaginem delineaverunt valde diversam ab illa,
quam decenter ornatam, forma liberali & decora præ-
ditam, Græcorum ingenium olim concinnaverat.
Hæc enim, veluti pristini sqvalloris memor, incompta
& sordida procescit, cohorruit risum k), gaudium
ceu perniciem fugit, genas semper lacrymis rigavit,
& asiduo jejunio corpusculum fregit. l).

Ævo igitur Theodosii mira & morum & sen-
tentiarum varietas viguisse deprehenditur. Hinc mo-
nachi,

"opus sit ad solitudinem confugere," ibid. p. 104. C.
in desertum trahimus homines, non ut sacco induantur,
sed ut vitia fugiant, elegantve virtutem.

N Exstat tractatus Ephraemi Syri de eo, quod non oporteat
ridere vol. 1. p. 254. seqv.

D Si quis fabellam Prodicu de judicio Herculis & a patre
ecclesiæ & a Græco scriptore relata perlegerit, miram
animadverteret in virtutis imagine depingenda inter utrum-
que discrepantium. Xenoph. memor. lib. 2. cap. 1. 22.
αριτην ευπρεπη τε ιδειν και φλευθεριον Φισει, μεμονη-
μενην το μεν σωμα καθαροτητι, τα δε ομματα αιδοι,
το δε σχημα σωφροσυνη, εσθητι δε λευκη. Basilius ve-
tro de legendis libris Gentilium edit. Benedict. vol. 2.
p. 178. A. την αριτην κατεστημεναι, και αυχμειν,
και συντονουν βλεπειν, και λεγειν τοιαυτα επερα. υπισχ-
νεισθαι γαρ ιδειν ανειμένου εδε ηδυ, αλλ ιδρωτας μη-
ριος και πουσα και κινδυνος δια πασης ιπειρας τε και θα-
λασσης ο: virtutem vero macram esse & sqvallidam, &
torve intueri, & longe diversa ab illis, (qve spondis-
set voluptas) proferre, nihil remissum, nihil jucundum
polliceri, sed permulto sudores, labores & pericula.

nachi, totum corpus ferro ligantes, ad vertices montium cucurserunt m). Illinc viri, muliebria passi, vestitu foemineo incesserunt amici n). Alius loca Homeris & Platonis ceu divinitus prolata excitavit o); alius, qvia Ciceronem lectitaret, angelis ultioribus vapulaſſe ſibi viſus eſt p). Nonnulli, ut inſomniis futura cognoscerent, in templo AEsculapii pellibus hostiarum stratis inceubuerunt q); nec pauci ſimum Jobi r) viſum, illudque deoſculatūm, in Arabiam profecti ſunt.

Qvamvis enim ætate Theodosii plurima Deorum templia ſolo fuerant æqvata, & sacrificia illis offerenda legibus prohibita; non pauca tamen priſcam fententiarum veſtigia inter eos, qvi ſe Christianos proſterentar, depreheſdere licebit. Nam ex optimatibus qvidem alii templa ſua Constantinum imitaturi deſeruerant; alii antiquam ſuperſitionem mittere in aula Christiana didicerant; alii de præſtantia novæ religionis legibus Theodosi facti fuerant certiores: illorum itaqve mulci priſcam ſuperſitionem.

m) Chryſ. vol. i, p. 234. D - E;

n) Salvian, de gubernatione, lib. 7. p. 174;

o) Julianus, Libanius, Theophilus; citandi formulae ab illis adhibitas Synesius quoqve paſſim retinuit.

p) Hieron. vol. i, ep. 22. p. 113.

q) Hieron. in Ef. cap. 65. vol. 4. p. 774. E;

t) Chryſ. vol. 2. p. 59. A:

nem ex parte retinuerant, hominumque de futura
forte inscitiam in ore gerentes s), res humanas cæco
fatorum vi gubernari crediderunt t).

Quicunqve homines, urbium incolæ, templo
Diis consecrata antea freqventaverant, his aut clausis
aut eversis, ad sacras Christianorum ædes, ubi lucer-
nas splendorem fundere u), suffimentum fragrantiam
edere v), & musicæ vocalis concentum attolli ani-
madverterent, sponte accesserunt. Intromisi autem
viros audierunt & munere & autoritate graves,
magna eloquentiae vi tartarum elysiumque describe-
re, illius gentiles, hujus Christianos participes fore
confidenter asserere, sacra denique Christianorum
mysteria veluti summa numinis erga mortales bene-
ficia celebrare x). Cum tanta itaqve præmia propo-
sita esse cernerent, magna alacritate Christi nomen
professi sunt y). Si vero febricula aut leve vulnus
preme-

s) Chrys. vol. 2. p. 16. B.

t) Amin. Marcel. lib. 28. cap. 4. p. 157. coll. Chrys. vol.
10. p. 669. C. voll. 11. p. 565. A. p. 553. B. C.

u) Chrys. vol. 7. p. 373. C. vol. 4. p. 662.

v) vol. 7. p. 830. E.

x) Chrysostomus vim sacrae coenæ verbis magnificis sed sub-
obscurus identidem extollit, addito, mysteriis initiatos hæc
intelligere. vol. 2. p. 226. C. vol. 4. p. 284. B. P.
638. E.

y) Attamen anno 400 multi gentiles Constantinopoli adhuc
degerunt, Chrys. vol. 9. p. 93. C.

premeret, mox aut ad synagogas currere z), aut sagas a) & incantatores arcessere b), & amicis horribus carmina cum amuletis adhibere c); interdum aurea Alexandri Macedonici numismata capiti vel pedibus alligare d). Rufus, si infans natus, si quid pecuniae amissum semper ad divinatores eundum e). Si vero paullo rigidiiores in cultu Christianismi evassissent, ægrotantes corpora sua oleo e lucernis sacrum ædium desumto inungi curaverunt f); sæpe precibus & impositione manuum a sanctis monachis facta morbos pellere conati sunt g). Amuletas quoque christianas aut e ligno crucis h), aut ex evangeliorum voluminibus i), aut e reliquiis navis Noahicæ k), in Armenia, sic rumor ferebat, adhuc existantibus, sibi confecerunt. Quid tanta erat magiaæ autoritas, ut lex Constantini, in cod. Theod. recepta,

C 2

incan-

z) Chrys. vol. 1. p. 682. E.

a) vol. 2. p. 244. A.

b) vol. 1. p. 683. A.

c) ibid. p. 682-684. vol. 11. p. 447. D.

d) vol. 2. p. 243. E.

e) vol. 10. p. 669. C. vol. 11. p. 447. F.

f) id. ipse Chrys. assertu probasse videtur vol. 7. p. 373. D.

g) vol. 1. p. 488. C.

h) Chrys. vol. 1. p. 571. E. Greg. Nysl. vol. 2. in append. p. 198. D.

i) Chrys. vol. 7. p. 703. B. vol. 2. p. 197. E.

k) Cyril. Alex. contra Jul. lib. 1. p. 9. A. edit. Spanheim

Chrys. vol. 6. p. 296. E.

incantamenta ad morbos depellendos & fruges conservandas fieri permiserit l). Alia lex a Constantio Iata afferuit, homines magicis artibus elementa turbare, vitas infontibus labefactare, & manes accire, fuisse ausos m). Concilium denique Laodiceæ anno CCCLXIV habitum sancivit, non oportere sacerdotes & clericos magos aut incantatores esse, vel mathematicos, vel astrologos, nec facere phylacteria n). Fuerunt vero homines simplices, qui animas violenta morte decedentium dæmonas evadere crediderunt o); unde complures malefici tenera multorum adolescentium corpora trucidaverint, sperantes futurum, ut fierent dæmones, rursusque sibi inservirent p). Alii se augurum insanæ q) & necromantiae artibus permiserant r). Alii agrorum fructuum que proventum astris retulerunt acceptum s). Africani præter Christum cælestem Deam coluerunt t). Christianorum vero Antiochenium nonnulli delubrum

vel

l) Cod. Theod. lib. 9. Tit. 16. lex. 3.

m) ibid. lex. 5.

n) cod. can. Just. can. 140.

o) Chrys. vol. 1. p. 727. E.

p) Chrys. vol. 1. p. 728. B. vol. 7. p. 336. E.

q) vol. 6. p. 27. B. vol. 10. p. 669. C. vol. 11. p. 44. C. p. 603. B.

r) vol. 7. p. 395. A.

s) Chrys. vol. 4. p. 36. E.

t) Salvian. de gub. lib. 8. p. 187.

vel speluncam Matronæ dictam, & locum Ciliciæ Saturni appellatum freqventaverunt u).

Denique coloni plurimique rure degentes, cum nulli magistri illis erudiendis constituti fuissent, & ædes Deo Christianorum dicatae parce admodum in agris ædificarentur v); numina agrestia, quæ arvæ tueri, fruges alere, & largum imbum coelo demittere crediderunt, more majorum venerati sunt: & templo sua antiqua religione sacrosancta, cum leges imperatoriæ illa everti jusserint, acriter defendèrentur x).

Hicsee de genio istius saeculi deque causis, cur talis existiterit, in universum disputatis, quid mira ista notionum judiciorumque mixtura ad mores fingendos contulerit, nunc inspiciemus. Ut vero justa nostris descriptionibus accedat accuratio, observasse
juva-

- v) Chrys. vol. II. p. 746. C. Mirum est, quod Chrys. hanc superstitionem judaicam dicere videatur. Attamen h. I. homines huic deditos judaicis fabulis intentos dicit. cf. fr. vol. I. p. 595. D. p. 599. E. Locum Matronæ dictum in contumeliam speluncam vocavit, nam eadem ratione vol. I. p. 591. synagogas Judæorum speluncas vocavit.
- v) Chrys. acriter invectus est in possidores fundorum, quod horrea potius quam templa extreuerent; ita ut agricultæ, si templum Dei adire vellent, mille stadia cemetiri cogarentur: Chrys. vol. 9. p. 149. E. p. 152. B. addit Chrys. velut incitamentum, templo exstructo fore, ut sacerdos nomen patroni in sacris oblationibus semper referret.
- x) Cod. Theod. lib. 16. Tit. 10. lex. 16. & Gothof. ad loc.

juvabit, nos de hominibus lautioris fortunæ & ori-
entalis præsertim imperii civibus plerumqve disser-
ruisse. Tanta vero erat, si optimates spectas ex
eadem aula profectas, morum in utroqve imperio simi-
litudo, ut plurima orientalium istius ætatis instituta
ad occidentales qvoqve jure transtulisse licuerit. Om-
nem igitur vitæ usum, qvalis ea ætate fuerit, deli-
neatur, rem educatione describenda auspicamur.

C A P . II.

De educatione puerorum & studiis adolescentiæ.

Infantem recens natum plerique, barbarorum exem-
plum securi, qvi ad secundum & tertium usqve an-
num pannis involuti fortiores ideo habebantur, pan-
nis involvere consvererunt a). Si qnta fuerat puella,
mater provida mamillas ejus ligavit, ut a tenero
rumore desisterent, pulchritudinemqve virginalem
custodirent b). Mox infans nutrici lacrandus trade-
batur, nam matronæ ingenuæ jam olim delicatores
evaferant, qvam qvæ tale negotium ancillulis dudum
derelictum ipsæ missò fastidio subierint. Ambro-
sius

a) Hieron, edit. Vallarsi, vol. 4, p. 147. B—C, in Ezech,
cap. 16.

b) ibid, p. 146. A.

sius itaque matres adhortatus est, ut filios lactando dignitatis suae recordarentur; ita se viris suis commendaturas, & liberos, quos ipsae uberibus suis lactassent, impensis amaturas e).

Parvulo accepto nutrix statim ad balnea currere, & lutum inde captum in frontem pueri impri-
mere; roganti forte, quid sibi lutum veller, mox
dicere, "malum avertet oculum livorem & invidi-
am d)". Ligamina quoque, stamen coccineum &
crepitacula, multæ parvis appenderunt e): dum aliae
hae veluti superstitionis plena deridentes, crucis sig-
no fronti impresso, quo veluti telo irruentes dæmo-
num impetus abigerent, infantis saluti egregie sibi
visi sunt consuluisse f).

Parvulo nomen plerumque avi vel proavi a ma-
tribus impositum g), nec pristino Christianorum mo-
re sanctorum nomine appellati fuerunt. Nonnulli
etiam lucernis accensis, quarum singulis nomina im-
posuerant, has summa cura observabant, ut cognito,
quæ diutius lucem dederit, hujus nomen veluti vitæ
diuturnæ auspiciu[m] nato inderent h). Nutrices in-
terea,

c) vol. I. p. 231. B—C.

d) Chrys. vol. 10. p. 107. C.

e) ibid. p. 107. A. vol. 10. p. 669. C. p. 108. B.

f) de vi crucis ingenti Chrys. vol. I. p. 571. A. vol. 5. p.
259. B. vol. 7. p. 552. A. p. 820. B.

g) vol. 2. p. 519. A. vol. 4. p. 185. C. vol. 10. p. 107. A.

h) vol. 10. p. 107. A.

terea, ne cura intempestiva infantibus nocerent, crebro a parentibus admonebantur, parvulos sinu non semper gestare, ne in hanc conseruidinem deductos imbecilliores redderent i).

Quatuor primæ infantiaꝝ annos pueri domi manferunt, q̄vos fictilibus curruum, eqvorum puellarumqve imaginibꝫ k), pilis, talis aliisqve ludicris l), læti transegere. At qvinto ætaris anno in ludum litterarium erat eundum m). Hiqve parvuli vix a lacte depulsi, sive cupediarum dulcedine allcti n), sive flagellarum poenaſ reveriti, ludos litterarios freqvenerunt o), & æstu striqve qvamvis afflicti ad meridiem usqve perdurantes exemplum concionatoribus invitî sane præbuerunt, qvo usi, parentes in virtutis studio remissos ad similem tolerantiam & mollitiæ fugam excitarent p). In hisce scholis prima litterarum eleminta q) & stilum in cera ducere r), metu svadente, didicerunt s); puerum enim nihil utile sine castigatione

i) Vol. 9. p. 410. E.

k) Vol. 8. p. 481. A.

l) Vol. 5. p. 452. A.

m) Vol. 3. p. 109. B.

n) Chrys. vol. 11. p. 354. F.

o) Vol. 2. p. 73. C.

p) Vol. 3. p. 109. B.

q) Vol. 4. p. 10. E.

r) Vol. 11. p. 355. C.

s) Quomodo utraqve ars facillime doceri posuit, hanc inepit explicavit Hieronymus, vol. 1. ep. 107. p. 675. A.

tione discere, communis erat omnium ea aetate sententia t).

Qvinqvenni jam parvulo u) qvidam, plerumque v) servus, spectatis moribus, &, si fieri posset, litteratus delegebatur, qvi illum perpetuus ad adolescentiam usqve comes affuturus, ad scholas deducere dissentienti assideret, & domum reverso audita reperteret; ubi, si qvid dictorum periisset, memoriam ejus hebetiorem virgis & loro interdum acuere haud dubitavit x). Inprimis vero lateri crescentis pueri severus pudicitiae custos adhaesit, ut prave amantium hos e colloqvio, illos e conspectu abigeret, summaqve at saepius incassa diligentia y) usus, vulgari lasciviae z) juvenem efflorescentem subduceret. Gravitaqve hoc functus officio paedagogus dicebatur, cui honor secundo a magistris loco habitus a), & suprema patris defuncti voluntas honorificum tutoris munus saepius concessit,

Verum

- t) Chrys. vol. 9, p. 324. C. Libani epist. edit. Volfii 1119.
- u) Chrys. vol. 2. p. 167. A.
- v) Monachus paedagogus tanquam res singularis commemoratur
Chrys. vol. 1. p. 96, seqv.
- x) Libanius edit. Morelii in Chriis p. 16. A.
- y) Chrys. vol. 1. p. 88, E.
- z) qvantopere foedus puerorum amor tum invaluerit, intelligitur ex Chrys. l. c. vol. 9. p. 517, B. Cod. Theod. lib. 9. tit. 7. lex. 3 & 6.
-) Ad totum hunc locum de paedagogis cnfr. Liban. orat. pro rapete vol. 3, edit. Reiskii p. 255 seqv.

Verum enimvero auctoritatis a parentibus traditæ b) legumque autoritate sanctæ jacturam multi deploravere, quibus libidinosorum hominum, quorum insultus represserant, potentia terrorem injecit; aut adolescentiolorum protervia, quam frustra cohibere studuerant, plurimas molestias facessivit c). Quanto plures igitur difficultates huic muneri imminuerunt, tanto perniciosior ea parentum socordia, qua bonum equum potius, quam peritum paedagogum nato comparare studuerunt d), illamque curam, quam in asynario & mulione eligendo semper adhibuerant, in custode filii dijudicando turpiter neglexerunt e).

Parvuli vero, qui vel tenuiore loco nati hisce comitibus destituebantur, vel præ socordia domo paterna relicta foras ludibri oberrabant, in mediis urbibus plagiiorum insidias f) saepius perpesi sunt: cupediis enim ad illos seqvendos allecti, ornatu aureo sibi detracto, vel libertatis, vel ipsius virtutem jacturam fecerunt g). Cui forsitan periculo homines provinciales obviam ire voluerunt, dum filios suos pasto-

b) Chrys. vol. 1. p. 58. A.

c) Chrys. vol. 1. p. 89. A. Exemplum petulantiae juventutis Antiochenæ commemorat Liban. orat. pro sapere. vol. 3. edit. Reiskii p. 255. seqv.

d) Chrys. vol. 3. p. 316. E.

e) Vol. 7. p. 605. A. vol. 11. p. 597. C.

f) De his lex Constantini Cod. Theod. lib. 9. tit. 18. lex. 1.

g) Chrys. vol. 2. p. 166. E. vol. 3. p. 99. C.

pastoribus & rusticis enutriendos commississe per-
hibentur h).

Postquam vero puer ingenuus ludos litterarios,
qvibus infantia erudiebatur, duce paedagogo, fre-
quentaverat, ad Grammaticos duodecennis accessit i);
qvibus magistris historiarum cognitione, bene loqven-
di scientia, poetarum interpretatione k) & metri
carminutnqve legibus l) ad annum usqve decimum
qvartum m) publico urbiū singularum impen-
dio

h) Cod. Theod. lib. 9. tit. 31. lex. 1.

- i) Discrimen observandum inter magistros ludorum, qui lit-
terarum elementa, & Grammaticos, qui eruditio[n]is ele-
menta docuerunt: horum officium multo latius patuit coll.
Chrys. vol. 4. p. 10. E. cum Greg. Naz. vol. 1. p. 333.
A. Ita quoque Qvintilianus, qui multo antiquior insti-
orat, lib. 1. cap. 4-1. & Paulus Egineta περὶ διαιτῆσιν
παιῶν lib. 1. cap. 14. qui paullo senior vixit.
- k) Grammaticus qvidam Gallicus teste Sidonio Apoll. lib. 2.
ep. 2. Terentij Eunuchum pueris explicavit: ipse Sidon-
nius nepoti Hecyram lib. 4. cap. 12.
- l) Ita ambitum Grammatices Gregor. Nazianz. describit vol. 1,
p. 333. A. γραμματικὴ γλωσσαν εἰδεληνίζει, καὶ 150ρια
ευναγεῖ, καὶ μετρούσι επιστεῖ, καὶ νομοθετεῖ ποιητασι.
Qvintil. inst. orat. lib. 1. cap. 9. quem Augustinus de
ordine lib. 2. vol. 1. p. 257. C. edit. Bened. 1770. ita
secuevit est, ut Grammatici provinciam munere historias
docendi addito auxerit.
- m) Paulus Egineta lib. 1. cap. 14. & citante Gothofredo 1. 21.
9. ultimo π de ann. leg. accedit exemplum Greg. Thau-
maturgi, qui annos natus qvatuordecim rhetoricen aggres-
sus est. In Panegyr. Orig. p. 55. C. coll. p. 56. B. edit.
Parib[us] 1622.

dio n) fuit imbutus. Nihil interea pueri, ne adolescentes quidem, de disciplina Christiana o), quod in ea ætate mirum videri posset, nisi quando ecclesiam forte adirent, didicisse videntur. Adeo ut puberes facti notitiam sacrae scripturæ non nisi levissimam habuerint p). In scholis vero Grammaticorum Homerus aliquæ poetarum libri q), quippe quos magistri, aut ipsi gentiles, aut hisce unice perlegendis assueri, exponere soliti essent, puerorum manibus semper terebantur: clericis licet renuentibus, qui potius horrenda quædam de æterno supplicio, quam fabellas græcanicas menti teneræ instillari suadebant *).

Quicunque artem quendam mechanicam filiis tradi voluerunt, artis magistro certum tempus desipientes, intra quæd institutionem absolveret, pueros cum eo habitatum miserunt, aditu domus paternæ omnino interdicto, ut cum magistro continue versantes artem facilius celeriusque discerent r). His vero

n) Cod. Theod. lib. 13, tit. 3, lex. 1.

o) Chrys. conquestus est, quod puerorum doctores sacrae scripture legendæ haud incubuerint, vol. 4, p. 350. C. nemo ullum psalmum novit, vol. 11, p. 392. G.

p) Chrys. vol. 8, p. 188. Multis Constantinopolitanis liberis actorum ne nomine quidem fuit notus, Chrys. vol. 9, p. 1. A. coll. vol. 11, p. 91. B.

q) Chrys. vol. 11, p. 160. A.

*) Chrys. vol. 11, p. 521. B.

r) Chrys. vol. 1, p. 108. E. vol. 2, p. 368. D-E. vol. 8, p. 343. C.

vero exceptis coeteri pueri in domo paterna huc-
usqve permanisse videntur; attamen raro providam
patrum suorum in se curam experti sunt. Nam pa-
tres, dum divitiis tota mente inhiarent s), se suo of-
ficio egregie defungi crediderunt, si filiis alimenta
praeberent t), protertos verberibus correptos inter-
dum admonerent u), parvulosqvē auro diligenter
ornatos secum ad spectacula s̄epius traherent v). Alii,
hanc indulgentiam magnopere vituperantes, filios
juvenes veluti virgines conclavi abditas custodive-
runt x); deniqve multi omnem curam puerorū a
se missā uxoribus demandaverunt y).

Muliebris vero educationis vim ad vivum de-
pinxit Julianus imperator, qvi, cum lascivos Antio-
chenium mores deridere veller, ex persona "eorum
locutus z) " nullo modo honestum esse, scripsit, ne-
" que approbandum, juvenum petulantiam corrigere,
" lasciviamque coercere. Id enim caput libertatis eri-
" pere & diminuere, hominesque facultate, qvidqvid
" velint, dicendi faciendiique privare. Itaqve præ-
" clare Antiochenes, cum scirent, libertatem omni-
bus

s) Chrys. vol. 7. p. 604. E.

t) Vol. 3. p. 316. D.

u) Vol. 4. p. 48. E.

v) Vol. 6. p. 274. C. vol. 8. p. 16. D.

x) Vol. 4. p. 710. A.

y) Vol. 3. p. 319. A.

z) Jul. Misopogon. p. 356. edit. Spanheimii.

"bus in rebus esse tuendam, primum suis uxoribus
permisisse, ut seipsas regerent, qvo magis liberæ
ac dissolutæ sibi essent. Deinde eis concessisse, ut
liberos suos educarent a), ne forte parvuli asperiora
vitæ initia experti, serviles dein evaderent, juve-
nesque facti viros natu maiores disserent revereri,
tandemqve hæc consuetudine erga principes qvoqve
suos fierent verecundiores". Si igitur filius, hac
disciplina erutritus, hippodomis ac theatris jugiter
interesset; hæc urbanitatem sapere pia mater afferuit:
si arrogans esset, fiduciam, si prodigus, humanita-
tem, si ferox, fortitudinem, laudibus prædicavit;
vicinæ vero filium, si forte qvidam ob temperantiam
laudare sustinuerat, mox illa rusticitatem ejus irrisit,
illius modestiam timiditatem dixit, & verecundiam
imbecillitatem nuncupavit; qvod vero splendoris con-
temptus animum servilem, & injuriarum tolerantia men-
tis infirmitatem proderent, qvovis pignore conten-
dit b).

Non læta igitur talis portendebat pueritia, qvam
inter servulorum lasciviam c), in urbium deliciis
trans-

a) Είτα γυναικοίσ συνεχωρήσατε αναγείν τα πάνδια, μηποτε
υμιν αρχισ πειρωμένα τραχυτερας επειτα αποφανθη δελα.
Versio latina hujus loci in edit, cit. sensu commodo ca-
rere videtur.

b) Chrys, vol. I. p. 87. B. istius loci sententiam mutatis verbis
expressit.

c) Chrys, vol. I. p. 591. E. p. 592. A.

transactam, ad litteras qvidem discendas præceptorum verbera d), ad perulantiam vero insignem indulgentia parentum, ducere consueverant. Num juventas forsitan vitia ineuntis ætatis emendaverit, nunc videbimus.

Ut adolescentes studia, qvæ liberalia dicentur, rite absolverent, eloquentiae professores audiendi erant, præter Grammaticos unici juventutis magistri autoritate publica per omnes provincias constituti; qvi, prouti facundiam aut græcam aut latinam tradiderint, vel Sophistæ, vel oratores dicti sunt e). Cum itaque ab omnibus sive honores capessere f), sive divitias cogere g), sive etiam architecturæ artem discere voluissent h), artes illæ liberales requirerentur, factum est, ut urbium minorum alumni, rhetoribus domi destituti, aut Athenas i), aut Romanam k), aut Constantinopolin l) a parentibus dimitterentur. Qvicunqve vero in aliqua urbe imperii nobiliore nati erant, habuerunt quidem, qvos apud se dicendi magistros audirent: attamen optimus qvis-

que

d) Cnfr. Ausonii exhortatio ad nepotem v. 24-32.

e) Cod. Theod. lib. 14. tit. 9. lex. 3 & ad loc. Gothofred.

f) Hoc sane colligi posse videtur ex Cod. Theod. lib. 14. tit. 9.
lex. I. in fine, & lib. 14. tit. I. lex. I.

g) Chrys. vol. 7. p. 604. B. inpr. Chrys. vol. I. p. 84. D.

h) Cod. Theod. lib. 13. tit. 4. lex. I.

i) Liban. ep. 627.

k) Cod. Theod. lib. 14. tit. 9. lex. I.

l) Themistius orat. 4. p. 61.

que litteris inclarescere cupiens inclytas Musarum
sedes perere m) consuevit.

Scholares igitur Romanam profecturi litteras, quæ
natales & conditionem indicarent, a judicibus pro-
vincialibus acceperunt; his adventu suo apud Ma-
gistros Census prolatis, in primo statim introitu studia
professi sunt, quibus operam navare proposuerint.
Alii magistratus, quibus singulorum hospitia nota-
erant, moribus observandis imminuerunt, curam ad-
hibentes, ut turpes consociationes fugerent, nec
spectacula frequentius adirent, nec intempestiva ad-
peterent convivia. Si vero quis non ira se in urbe
forte gereret, ut liberalium studiorum dignitas po-
scere videretur n), publice verberibus affectus, sta-
timque navigio impositus, domum pellebatur: ho-
nestis scholaribus ad viceustum usque ætatis suæ
annum Romæ commorari licuit, post id vero tem-
pus si sponte remeare negligerent, a Præfecto urbis

cum

m) Ita Gregorius Nazianzenus & Basilius Cesareensis peregrè
profecti sunt Greg. Naz. oper. vol. I. p. 326. A. Juvenes
Antiochenes Athenas, Liban. ep. 627. Chrys. vol. I. p.
109. B. Gallici juvenes Romanam petierunt. Hieron. vol. I.
ep. 125. p. 929. B.

n) Narrat Augustinus rhetorices aliquando Romæ doctor con-
fess. lib. 5. "scholares quidem Romanos Carthaginensi-
bus moderationes esse, hunc vero pessimum morem Romæ
"vigere, ut scholares, postquam scholas alienus doctoris
"diu frequentassent, ad alium se subito transferrent, prior-
"rem mercede debita defraudantes."

cum dedecore o) ad patriam mittebantur. Matriculæ Breves dictæ singulis annis principi datæ sunt, qvi- bus imperator singulorum scholarium & conditione & eruditione comperta, qvando sibi futuri essent necessarii. ipse judicare posset.

Remissior autem disciplina erat eorum, qvos lit- terarum cultores Athenæ prisca scientiarum sacraria aluerunt. Hæc enim urbs, qvæ saevitate Syllana everia, Hadriani in primis munificentia restaurata fuit, ab ævo inde Constantini sophistarum feracis- sima deprehenditur p); qui temporum barbarie clari- tiores facti, cum juventutem vini suam in dicendo admiraturam undique confluere q) cernerent, cito in superbiam abierunt. Successit dein invidia, si forte discipulis pluribus hic vel ille gloriaretur, qva veluti furibundi unus alii obtrectare, alter alteri disci- pulos subducere, & clam & aperte conati sunt. Ad discipulos quoqve pestis illa transit, qvi tanto ardore vel tanta potius insania magistros coluerunt, ut æmu-

los

- o) Lex Valentiniani lata an. 370. Cod. Theod. lib. 14. tit. 9.
lex. I. Copiosam dissertationem in hanc legem exaravit
Contingius. Exstat in antiquitatibus acad. edit. Göttingæ
1739.
- p) Vetus orbis descriptio edit. Genevæ 1628. in 4to. p. 31.
cum notis Gothofredi p. 32. Confr. Eunapii vita rhe-
torum.
- q) Eunapii Julianus p. 119. Eunapii Proæresius p. 138. Symm.
lib. 5. ep. 35.

D

los eorum omnimode carpere, auctoritatique illorum detrahere, diligenter studuerint; quin mutuis disfidiis ad iurgia usque & digladiationes prorumpentibus r), multi, milites potius quam eloquentiae studiosi, cicatrices ex vulneribus in lyceo acceptis retulerint s). Alii occultis insidiis rem gerentes, urbes, vias, portus per omnem Graeciam occupaverunt; ut, quisquis accessisset juvenis, mox obsequiis delinitus in manus suas incideret. Hunc dein hospitio exceptum alii consiliorum socii variis dicentiis cavillationibusque lacesiverunt, quas ut arceret juvenis timidior, se totum hospiti ducendum permisit t). Viguit quoque Athenis mos quidam inaurandi, quo scholares advenam sollenni quadam pompa ad balneum deduxerint, dein illum, terrore quodam subito ibi injecto perculsum, tum demum salutaverint æqualem u). Juvenum vero petulantia bellis academicis exercita ipsis etiam magistris, qui illam, ne ipsis quidem imbelles^{v)}, interdum fove-

rant,

r) Himerii Sophistæ Eclogæ edit. Wernsdorf, nota editoris ad orat. 22. §. I.

s) Liban. ep. 627. Eunapii Proæst. p. 141.

t) Greg. Nazianz. vol. I. p. 327.

u) L. c. p. 328. A.

v) Liban. ep. 627. de doctoribus Atticis hæc scribit " eorum
" alii præ sepiò molli somno in rerum omnium abundantia
" capiendo indigent, aliis vero, fortasse magistris opus
" est, qui doceant ad causas agendas doctrinam non ar-
" ma requiri."

rant, plurimas molestias facessivit x). Athenæ autem laudibus litterarum, qvibus ad regnum usqve Arcadii floruisse videntur, rursus exciderunt. Philosophia inde deducta, omnes Ægyptum versus, Attica relictæ, tendebant; & si qvis invitus ad Atticam appellere cogeretur, per vacua Lycæi atria & porticus imaginibus spoliatos oberrans, mala precabatur nauclero, qvi navigantem in loca tam deserta, mellatorum domicilia detulerat y).

Qvod autem Constantinopolin attinet, Constantinus, novas imperii sedes juvenum frequentia augere conatus, litterarum ibi magistros, ut tanto plures edocendo vacarent z), variis immunitatibus ornavit. Successores etiam librorum collectione publico impendio facta, de litteris promovendis bene mereri studuerunt. Ita Constantius qvamplurima volumina Constantinopoli colligens nota pariter ac ignota volumina ex imminenti oblivione eripuisse fertur: curatore porro totius negotii constituto, homines artis

D 2

criticæ

- x) Duo exstant Himerii declinationes, 19na & 20ma, contra Auditorum contumaciam.
- y) Ita saltet Synesius, qvi itinere maritimo Athenas videre cogebatur. Syn. ep. 135. edit. Petav. p. 272. A. Qued igitur Athenarum opes a Gothis Alarico duce fractæ fuerint, hoc Synesi loco & Claudiani in Ruf. lib. 2. p. 191. accedente Hieronymi ep. 60. p. 343. A. efficitur quidquid dixerit Zosimus lib. 5. p. 512 - 513. edit. Cellarii.
- z) Cod. Theod. lib. 13. tit. 3. lex. 3.

criticæ peritos adhibuit, qvi locis auctorum male
sanis utilem admoverent medelam a). Huic dein
bibliothece antiquarios, quatuor Græcos & tres Latini-
nos, ad codices componendos vel pro vestitute repa-
randos præfici, eosqve cum ministris nonnullis vilio-
ribus publico stipendio ali, Valens imperator edicto
jusit b). Illis vero juvenibus, qvi discendi studio
illuc confertim festinaverant c), injuncta erat neces-
sitas illos modo professores audiendi, qvi jussu prin-
cipis intra auditoria Capitolii docuerunt d). Eo loco
porticus pulchræ & capaces, professorum seholari-
umqve commodis inservientes, erant exstructæ, in
qvibus, ne forte magistri sibi invicem obstreperent,
sua cuique pergula erat assignata e).

Classis vero rhetorum, cui omnis omnino ju-
ventas scholaistica ad annum saltem decimum octavum
operam dedisse viderur, gens erat vana plerumqve
& jactantior, cui summæ erat laudi qvæstionibus cap-
tiosis æmulum irretiisse, de re vero qvacunqe oblata
haud pari dicendi copia ex utraque parte differuisse,

sum-

- a) Themistius orat. 4. in Constantium p. 59-60. edit. Har-
duini.
- b) Cod. Theod. lib. 14. tit. 9. lex. 2. cnfr. de ministris
conditionalibus Cod. Theod. vol. 3. p. 382. col. 1.
- c) Themistius orat. 23. p. 294. B.
- d) Regio octava & veteris & nova Romæ dicebatur Capi-
tolium.
- e) Cod. Theod. lib. 14. tit. 9. lex. 3. lib. 15. tit. 1. lex. 53.

summum dedecus; qvi sententiis pulchre concin-
nandis unice intenti, & heroum potius Homericō-
rum mores qvam æqvalium suorum indolem riman-
tes, declamatores forsitan in scholarum umbraculis
subselliorum plausus venaturos instituere, vix autem
oratores foro aptos, nedum viros rebus gerendis
idoneos, disciplina sua formare valuerunt.

Nihilqramen feciūs hi homines ob luxuriantēs
dicendi genus, genio sæculi accommodatissimum,
præcipua apud principem gratia, inter cives aucto-
ritate pollebant. Digna profecto qvæ exscribantur
Constantii Chlori verba, qvibus Eumenium Augustæ
(Autun), urbe Galliæ, eloquentiæ professorem con-
stituit f). "Qvod aliud præmium", ita scripsit, "civi-
bus hujus urbis a me bene meritis, qvam illud,
"conferre debemus, qvod nec dare potest, nec eripere
"fortuna? Unde auditorio huic, qvod videtur interitu
"præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere
"debuimus, cujus eloquentia &c." Salarium qvoqve
annuum sexcentorum millium nummorum (26000
livr.) g) addidit. Magnus etiam Constantinus, ut
"favore suo mentes," ut ipse ait, "doctrinæ deditas ale-
"ret & irrigareret, qvafsi clivosi tramitis supercilio rivus
"elicitus

f) Eumenii orat. pro scholis instaurandis edit. Balduni, Pa-
risis 1570. in 4to. p. 22.

g) Ex computatione Papillonii Bibliothèque des auteurs de
Bourgogne vol. 1. p. 203.

" elicitus scaturientibus venis arva arentia temperat h)^h?
 lege sanxit; & oratores & sophistas cum rebus uxori-
 bus & filiis esse immunes, ipsisqve mercedem &
 salario reddenda, homini vero, qui illos viros veluti
 sacrosanctos in jus rapere auderet, mulieram centum
 millium nummorum mox esse infligendam i). Nec
 non Constantius per paterna incedens vestigia omnem
 curam adhibuit, ne litteraturae (eloquentiam in primis
 intellexit), quam omnium virtutum k) maximam esse
 dixit, sua premia denegarentur l). Denique ex se-
 quentium imperatorum constitutionibus, oratores &
 Grammaticos per urbes clariores totius romanæ ditio-
 nis m), qui civitatum redditibus alerentur, constitu-
 tos fuisse, colligi posse videtur.

Nec

h) Epist. Constant. ad Porphyrium vid. Gothof. comm. in
 Cod. Theod. lib. 13. tit. 3. lex. 1. p. 23. col. 6. Ita
 sermo prosaicus & ipsa edicta imperatoria v. c. Cod.
 Theod. lib. 10 tit. 21. lex. 3. cothurnato sermone tur-
 gebant, dum carmina, si versus Claudiani excipias, fervore
 poetico plerumque destituta humi serpent v. c. ini-
 tium carminis Ausonii de sororis filio morte prænatura
 abreptos.

Herculanæ, qui profectus gremio de nostro & schola,
 Spem magis quam rem fruendam præbuisti avunculo,

i) Cod. Theod. lib. 13. tit. 3. lex. 1.

k) Αρντων dotum animi.

l) Cod. Theod. lib. 14. tit. 1. lex. 1.

m) De Gallia & utraqve Roma cnfr. Cod. Theod. lib. 13.
 tit. 3. lex. 11. lib. 14. tit. 9. lex. 1. 3. De Carthag.
 Salvian.

Nec minor rhetorum aestimatio inter cives vigit. Qvando illorum aliquis urbem aliquam ingrediebatur, mox omnes ad illum spectandi salutandi gratia uno impetu currere n); hunc juvenes veluti portentum suspicere, & lateri ejusse certatim adglo-
merare o). Declamationibus triduo ante publice in-
dictis p) multitudo audiendi cupidior subsellia cunea-
ta q) theatri in hos usus instructi mature implevit r).
Orator, sollicitudine eventus anciptis anxius s), in
excelsa cathedra procescit t), vestimenti aut nitore
pom-

Salvian, 170. Cæsareæ & Byzantii rhetores fuisse fidem
facit Greg. Nazianz. orat. 20; de Antiochia probat
exemplum Libanii. Qvod vero subtilia tollennia juven-
tutis magistris Romæ teste Symmacho lib. 5. ep. 35.
fuerint detracta; id quidem ob imminentem alimento-
rum inopiam factum esse videtur, Amin. Marcell. lib.
14. cap. 6. p. 20. Nec ullo jure cum Conringio antiqu.
acad. diss. 1. p. 20. inde colligere licebit, qvod artium
liberalium magistri eadem in provinciis fuerint perpesi.

n) Chrys. vol. 11. p. 162. D.

o) Themistius orat. 23. p. 299. A. "Simulac incolle Gal-
"tia pallium aliquod adspicerint, statim ex eo veluti ex
"magnete ferramenta dependent."

p) Ita Themistius, qui morem sophistarum imitatus est. p. 513.
D. Interduum invitatio ad diem crastinum facta Themist.
p. 243. A.

q) Sidon. Apoll. lib. 9. ep. 14. p. 604. edit. Savar.

r) Theatra commemorat. Them. 1. c. & orat. 28. p. 341.

s) Sudare veluti sophistam declamaturum proverbio cerebant
Cresoll. theat. rhetor. p. 235.

t) Them. orat. 21. p. 43. A.

pompam aut squallore jactantiam plerumque profens u). Dein favore audientium blanditiis sibi conciliato v), vel præparatus, vel extemporalis x), intento ore & sermone cothurnato vel Agamemnonis iras, vel Ulyssis astutiam, vel miserabilem Trojæ cladem exposuit: mox, qvid Ajax ob erepta sibi Achillis arma sæviens dicere debuerit; quid Ulysses secum differuerit in spelunca Polyphemi deprehensus, sermone prolixo agitatum. Sæpe oratio ad mores pingendos conversa, nunc parasitum descriptis equi contumacia epulis splendidis frustratum; nunc virum morosum loquacitatis uxoriæ rædio mortem sibi adsciscere conantem y): sèpius majore autoris commodo principum præfectorumqve laudes, rerum gestarum mediocritatem arte ornandi superatura, in immensum auxit. Nec defuerunt, qui ingenii ubertatem in sterilitate argumenti tanto illustrius probaturi, in febri quartana laudanda, in culice describendo, in calvitii encomio omnes Atticorum flores & pigmenta consumserunt z).

Tan.

v) Sidon. Apoll. lib. 9. ep. 11. p. 579.

v) Them. orat. 24. p. 302. A.

x) Them. orat. 25. p. 310. C. Eunap. Proæref. p. 159.

y) Celeberrima hæc fuit Libanii declamationis ad quam audiendum non modo homines litterarum studiosos convenisse, sed etiam opifices urbis Antiochiae officinis relictis confessim una cum permultis mulieribus accuruisse narrat Basilius Cæsarens. ep. 354.

z) Exempla omnium haruin declamationum sat multa præbent recensus operum Dio Chysoftomi, Libanii, The mistii

Tantis itaque molimini bus nec successus defuit: jam in orationis flumine sententiarum flo sculi, & per fines singulorum capitulorum acuta quædam breviterque conclusa, immanes audientium clamores, ut theatra sonitu quaterentur, excitare conveverant a). Finita vero oratione cuneti divinum sophistæ pectus, velut simulacrum alicujus Dei, interdum amplecti, alii pedes, alii manus supplices deosculari; non nulli Deum, quidam Mercurii eloquentiae præsidis imaginem compellare b), honestissimoque comitatu post actiones glorioas domi reducere c). Magistri igitur viam, quæ ipsis lata admodum ad gloriam laudemque patuerat, juvenibus quoque curæ suæ commissis calcandam esse merito judicantes, hanc sibi institutionis suæ metam proposuerunt, ut idoneos formarent declamatores. Juvenes vero vel optimæ indolis, qui magistros in re tenui non tenuem gloriam adeptos

mistii & Synesii: multæ quoque collegit Cresoliu s in theatro rhetorum lib. 9. cap. 7-11. Autor ob eruditio nem probabilis, si modo omnia per omnes ætates haud inter se perperam miscuisse.

- a) Sidon Apoll. lib. 9. ep. 14. Hieron. ep. 52. p. 25. Eunapius in Proæfisio p. 155. Tales acclamations etiam Libanius adamavit ep. 280. Themistio freqventer contigerunt, init. orat. 23. p. 282. Omnes sophistæ plausum cupidissimi erant. Greg. Nazianz. carmen de vita sua p. 5. B. vol. 2.
- b) Eunap. Proæfisius p. 147. p. 155.
- c) Lib. cit. p. 149.

adeptos mirari consueverant, qvantamvis laudem pre
rhetorica spernere facile adducti sunt.

Exemplum istius methodi, qva rhetores in do-
cendo usi fuerint, Libanius prebbit; qvi de nego-
tiis suis hybernis ad amicum perscribens d), narrat,
" se recitationes suas publicas à decertatione adver-
sus aliquam orationem Demostenis exorsum fuisse,
" & oratoris istius sententiam multiplici vice refu-
tasse. Septendecim juvenes sibi in initio adfuisse,
" dein vero, cum docendo instaret, eorum numerum
" ad quinqvaginta creuisse; tum provinciae rectorem
" advenientem oratione brevi, sed omnibus proba-
" bili, a se fuisse exceptum; dein Zenobio, rhetori
" defuncto, & monodia, & oratione panegyrica ab
" omnibus laudata, se parentasse: in primis vero sibi
" autoritatem accessisse, qvod, declamatione quadam
" fictitia instituta, rogatus, cum in media oratione
" versaretur, ut pari arte causam contrariam ageret,
" hanc celerrime scriperit, & pari arte confessam
" coram admirantibus recitaverit." Adolescentes ve-
ro in scholis rhetorum sedentes primo qvidem, ut
conciunitati & elegantiæ sermonis adfvescerent, a ma-
gistro dictata calamo excepisse, & poetis Homero
in primis legendis interpretandisqve e) aliquamdiu
incubuisse videntur; dein proprio marte aliqvid elab-
orata-

d) Liban. ep. 407.

e) Exemplum affert. Cresoll. l. c. lib. 4. cap. 5. p. 392.

boraturi f), initio a svasoriis facto, ad fictas controversias componendas transierunt g). Omnia itaque, qvæ in sophistarum theatris fieri solebant, in scholarum umbraculis usurpantes, nunc, studiorum socio declamante, proni atqve succincti ad omnem clausulam cum indecora exultatione consurgere, nunc pari levitate recitationem sibilis mutuis excipere parati, prouti dicentis aut favor aut odium svasser h). Interdum disputandi quoqve certamina inter se invicem & in primis cum æquilibus argutiarum minus peritis instituerunt, ut puerilem adversarium decipiendi artem magistris simillimi ostendarent i). Qvicunque vero scholares segnes & remissi, tempore feriis haud destinato k), sphæra potius ludere & cursu contendere, qvam ceram litteris implere, studuerunt; corio qvidem bubulo e veterno suo excitabantur l). Professores enim eloquentiæ magnam in discipulos potestatem usurpasse perhibentur. Ita in opusculis ipsius Libanii, qvem sophistarum ea æta-

te

f) Huc pertinet γραμματειον codex orationibus referata, quam
e scholis regulerunt. Liban. ep. 829.

g) De his Lactantius instit. div. lib. 1. cap. 1.

h) Hunc morem cum vituperio jam commemoraverunt Quintil.
inst. orat. lib. 2. cap. 2, 12. & Plutarch. de auditio-
ne in opp. vol. 6. Lips. 1777. p. 149. & 160. Eun-
dem innuit Themist. orat. 24. p. 304. A. B.

i) Greg. Naz. in vita Basili orat. 20. p. 328.

k) Agebantur enim feriae festivaæ Liban. ep. 1036 & 1235.

l) Himerii orat. 22. §. 7. edit. Wernsdorff. Liban. ep. 1119.

te principem appellare licebit, rhetor fistitur editiore loco veluti judex residens m), superciliis adductis visu terribilis, iracundiam præ se fœrens, nihilque placidum fronte promittens; tum juvenis trepidus & submissus ad illum accedere, oratiunculam forte offerens, qvam de themate sibi proposito elaborasset, aut fictam declamationem a seipso excogitatum, aut pensum alicujus libri memoriter recitaturus n): si opus discipuli aliquva reprehensione dignum, mox bilis magistro moveri, convicia, verbera, & minæ in posterum effundi, si vero sese eximie probasset, auctori illæsum abiisse in lucro qvidem pónendum. Cum igitur munus adolescentes tundendi (*μειρανικα
αποτυμπωνίζειν*) inter præcipua rhetorum negotia referretur o), accidit, ut nonnulli, dum mercedem docendi satis grandem p) præter Calendariam strennam & sportulam saturnalitiam q) exigent, parentes vero in illa solvenda negligentiores deprehenderentur r), sua in juvenes potestate turpiter abusi, miseros

m) Liban. in Chriis edit. Morell. p. 15. C.

n) Ita interpretatus sum verba Libani: *νεον ποιησομένου τὴν
επίδεξιν, ὃν εύρεν, ὃν συνεθήκε, μηνῆντος επὶ τετοῖσ.*

o) Them. orat. 21. p. 251. B.

p) Auson. de prof. Burdeg. 17. v. 10. Pueros Grandi mercede docendi formati rhetor.

q) Liban. de festo Calend. Hieron. in Eph. 6 vol. 7. p. 666. B.

r) Acerbe hac de re conquisitus est Libanius orat. pro rhetoribus vol. 2. p. 217. edit. Reiskii.

miseros parvulos, qvi non essent solvendo, verbis variisqve tormentis sævisime excruciantur^{s).}

Disciplinis vero, qvas in scholis Grammaticorum rhetorumqve traditas hactenus enumeravimus, artium liberalium ambitus absolvebatur t). Nec gymnastica, nec musica, summae olim laudi inter Græcos habita, probo honestoqve juvēne satis dignæ credebantur. Et gymnica qvidem exercitia juventus effoeminata lubenter detrectasset, qvippe qvæ campum apricum & arenæ pulverem ægre perpessa fuisset; patriam præterea, conductis barbarorum copiis defendendam, non suis lacertis egere facile crediderit. Si vero lusus magis quam exercitationis gratia tempus in palæstris tererent, a sophistis vel plagis affecti u), vel verbis increpiti, admonebantur, ut clausis palæstris, ludis potius litterariis se totos darent v). Multum quoqve sacerdotum monita

s) Them. orat. 23. p. 289. B. C. Dicit qvidem Themistius hoc loco & orat. 21. p. 261. similia de philosophis afferens, pueros inopia & orbitate pressos, atqve adeo pauperrimos, hæc fuisse perpresso: tales vero pueros magistri avari ne in scholas qvidem admisissent. Præterea crudelitas illa, unde ne qvidem lucri aliquid redundaret, tam immanis est, ut illam a Themistio, ut majorem erga inimicos invidiam concitarer, fictam esse crediderim: causam itaque sævitiae probabiliorem apposui.

t) Hic saltem usus loquendi vigeret in omnibus legibus eod. Theod.

u) Liban. ep. 1119.

v) Himerii orat. 22. §. 7.

nita contulisse videntur, qui, cum castitati in primis tuendae invigilarent, nudos juvenum congressus jam inter Graecos male audientes non potuere non summopere vituperare.

Musicen vero, quam juvenes, Romæ quidem honesto loco nati, jam pridem neglexerant, quia nulli, quod tibiis caneret, laudi verteretur, ea in primis ætate, moribus lapsis, luxuria aucta, ita pessimus quisque sibi propriam vindicaverat; ut convivia, in quibus nulla sonaret cithara, poetæ x) æque ac concionatores commendaverint y). Cum præterea illi, qui artem calllerent, aut psaltriæ essent, quæstus corpore facientes z), aut tibicines, a tenera inde ætate paganorum sollennia celebrare sicuti, sponte intelligitur, quam topere pii parentes a talibus magistris conducendis tum abhorruerint a). Hinc tandem accidit, ut quam artem Graeci, Deorum munere in commoda mortaliū inventam, lætis carminibus olim celebrassent, eandem posteri, veluti fraude Satanæ in perniciem peccatorum excogitata, diris quam maximis nunc devoverint b).

Phi-

x) Cland, in eamq. Stilich. lib. 2. v. 141. nullo cithara convivia cantu, non pueris lasciva sonant.

y) Basil. Magn. vol. 1. p. 490-91.

z) Cod. Theod. lib. 15. tit. 7. lex. 10.

a) Hieron. vol. 1. ep. 107. p. 679. E.

b) Chrys. vol. 3. p. 195. D. tibias & fistulas veluti turpes a nuptiis arcet, vol. 9. p. 322. D. Cymbala & tibias pompe

Philosophiae autem disciplina maturiores demum adolescentes exercebantur c); quamvis pueris nobilibus ne domestici quidem deerant philosophi. Mos enim Constantinopoli salem viguit, quo servulus quidam domini fastuosi cura litteris paululum imbutus, tum libertate donatus, philosophi sibi nomen arrogaret, dein hoc titulo fretus, pristinis sorribus nova superbia auctis, pessimas pecuniam rapiendi & alios criminandi artes, apud dominum tanto confidentius exerceret d). Huic igitur homini, aut herum potantem turpiter adulari, aut somnum post multam crapulam difficilium capienti, praecclare de temperantia differere, potius curae cordique fuisse facile colligitur, quam philosophiam, rem ipso patre judice parum utilem, quippe quae aditum ad honores divitiasque capescendas minime aperiret e), pueru renitenti tradere. Alia philosophorum gens pallio, barba & baculo tumida, per urbes provinciasque

orient-

pompæ diaboli jungit. vol. 10, p. 106. C. symphonias dicit satanicas. vol. 11, p. 330. B. quæ canantur fidibus, non nisi demonum cantica esse afferit. Hieron. ep. 54. p. 287. E. fidicinas & psaltrias diaboli choro annumerat.

c) Chrys. vol. 11. p. 354. E.

d) Them. orat. 21. p. 246-249. qui in hoc hominum genus ita erat incensus, ut ullum aut servo, aut coquvo, aut pistore natum, ob vitium stirpis philosophum posse evadere, temere negaverit.

e) Them. orat. 26. p. 321. A.

orientales miseri ventriculi causa, ut ait Chrysostomus, vagabatur f); & in sacros aulæ recessus, si fortuna daret, penetrare summopere gesuiti g). Non nulli grammaticorum rhetorumq; munera p;e inopia suscepérunt h). Alii in pergulis privatis, magnam ab adolescentibus mercedem duriter exigendam pacti, de virtutis p;e divitiis præstantia graviter differuerunt i). Attamen nec moribus egregiis, nec lucubrations edendo, nec discipulorum excellentia, sed valida in primis memoria, qvæ infinita & voluminum & scriptorum nomina sigillatim recensere posset, eminere conati sunt k). Si quis in sermone philosophico forte hospes ad illos de hoc vel illo sciscitaturus accederet, tum illi, voculas obsoletas & p;revetustate omnino obscuras colligentes, aures ejus ira diverberare, ut hæc sesquipedalia verba cohorrescens, terrore percilleretur, & vox illi pene desiceret; si iterum rogando instare auderet, illi denuo difficilioribus adhuc terminis ferire, & tandem, omnibus δη πλθεν κατειθα multisq; allegationibus exhaustis, se descendendi cupido pedibus subducere, & illum, se adhuc dubitare fatentem, ob miram inscitiam & ingenii tardit-

f) Chrys. vol. 2. p. 173. p. 189. D. vol. 12. p. 372. A.

g) De philosophis aulicis Chrys. vol. 11. p. 161. D.

h) Them. orat. 21. p. 251.

i) Id. orat. 26. p. 315. D. orat. 21. p. 261. C. D.

k) Id. orat. 21. p. 252.

tarditatem plurimum irridere l). Cum itaque, philosophiam habitu & sermone præferre, res esset minime ardua, immunitatibus vero multis hanc scientiam profesi fruerentur m), plurimi vicatim philosophi exorti sunt; donec Valentinianus edicto prohibuit, ne quis, pallio induitus, urbe sua natali relicta, per alias urbes immunis discursaret, nisi optimatisbus civitatis forte probatus a colluvione secerni mereretur; turpe enim Imperatori visum, illos patriæ functiones ferre haud posse, qui etiam fortunæ vim se laturos profiterentur n). Si vero varias immunitates excipias, nullum publicum salarium philosophiæ doctoribus solutum fuisse videretur, donec Theodosio juniori placuerit professoribus novæ Romæ unum addere, qui "arcana philosophiæ rimaretur."

Philosophiæ autem scientia in duas partes divisa erat, quarum una res divinas, altera humanas explicavit. Prior de pluviis, ventis, tonitrubus, de arcu coelesti,

l) Id. orat. 21. p. 253. C. D.

m) Jam Antoninus Pius, teste Julio Capitolino, in Antonino Pio cap. 11. varia philosophiæ concesserat. Theodosius vero junior privilegia & immunitates a prioribus imperatoribus datus novis auxit. Cod. Theod. lib. 13. tit. 3. lex 16.

n) Cod. Theod. lib. 13. tit. 3. lex. 7. Quod lex. per viros probatissimos, optimates innuerit, lex quinta ejusdem tituli docere videretur, quamvis Gothofredus hanc sententiam hanc amplexus sit.

coelesti, cur stellæ omnes non easdem cum cælo con-
versiones haberent, unde tantus in nive candor, cur
nulla per hiemem grando eadere soleret, unde mare
falsum, & argumenta similia, copiose tractavit. Po-
sterior vero, qvomodo homō honestus evaderet,
qvid ad dñm rite constituendam, qvid ad rem-
publicam bene regendam pertineret, exponere cona-
batur. Dum vero hanc pauci, qvia argumentum
spreverint vulgate, tractandam sibi sumferint; illam
plurimi ratiociniis vanis & a rerum usu plerumque
remotis persequevi studuerunt o). Fuerunt qvoque
philosophi, qvi logiken à sophistis, ut videtur, oc-
cupatam, & dialecticam callentes; artem, qva homi-
nes dicendo persuaderi possent, sibi vindicaverunt p).
Omnes vero hujus scientiæ doctores fora plerumque
& turbas hominum vitabant, nec sophistarum more
palam prodire ausi, in cellulis suis privatim docue-
runt q); qvam qvidem consuetudinem primus & for-
te solus immutavit Themistius, qvi Constantinopoli
multos annos r) salubria de moribus præcepta, mul-
tis acclamantibus, in publico suggestu dedit.

Qvicunqve vero insigni philosophandi ardore
flagrabant, Alexandriam Hypatiae fedem petierunt s);
cujus

o) Them. orat. 26. p. 327-328.

p) I. c. p. 328. D.

q) Id. orat. 26. tor. orat. 28. p. 341. D.

r) Id. orat. 26. p. 313. D.

s) Synes. ep. 135. Socrates hist. eccl. lib. 7. cap. 15. enfr.
exemplum Eunapii in Præfatio p. 162,

cujus pariter ac urbis fama ob laudem philosophiae studio partam per omnem terrarum orbem ferebatur t). Postquam vero Hypatia, Cyrillo, immanni plebem sacerdotem instigante, morte miserrima perierat, bonae artes ab urbe discordia civili furente aufugisse videntur: ut postea cives Alexandriæ, si forte urbis suæ quoad litteras promovendas dignitatem tueri vellent, pristinam tantummodo doctrinæ laudem in memoriam studuerint revocare u).

Illi denique juvenes, qui sacris Christianorum nondum initiati fervido arcana quævis rimandi studio ferebantur, ad Aedesium discipulumque ejus Chrysanthum, magna inter multos fama usos, Pergamum contenderunt v). Ne vero sacris avitis & toti, vaticiniorum generi addictissimi x), a Christianis summa rerum potitis durius tractarentur, silentium mysteriis congruum in scholis observare coeperunt: ita ut discipulos ab ineunte ætate sibi adhaerentes anno demum ætatis vicesimo genuina sua doctrina imbuere consueverint y). Quæ quidem disciplina, priscis sophorum orientalium placitis haud absimilis, dum res coelestes Deorumque sive spirituum ordines accurate investigaret, tanta polluit auctoritate, ut fat-

E 2

rum

t) Expos. totius mundi cap. 18. & not. Gottof.

u) Coningii antiquit. acad. p. 233.

v) Eunap. Chrysanth. p. 189. p. 203.

x) I. c.

y) Eunap. Adef. p. 36.

rum vias pandere z), & homines instinctu divino
implere perhiberetur a). Qvin artis illius magi-
stros, nunc inter orandum sublimes plusquam decem
cubitos humo raptos, & corpore vestimentisqve in
aureum colorem fuisse mutatos b); nunc nutu forte ad-
stantium admiruratis voculis genios coelestes e fon-
tibus evocasse c), discipuli creduli narraverunt. Post
aras vero Deorum a Theodosio eversas, cum juve-
nes, sive gentiles essent, ab hisce artibus veluti ma-
gicis & divinatricibus d) deterrerentur, sive Chri-
stiani, omne cum spiritibus, qvippe dæmonibus,
commercium cane & angve pejus fugerent; huic
disciplinæ non philosophiæ luce, sed nova supersticio-
ne fractæ, quamvis tanta promitteret, assclæ defuisse
videntur.

Qvot vero aut qvosnam vitæ suæ annos adole-
scentes philosophiæ studio impenderint, haud des-
nire licet. Plurimi enim ad studia, qvibus honores
capesserent, properantes, hanc disciplinam vel om-
nino negligere, vel fere anno ætatis suæ decimo nono
leviter degustare conſeverunt. Pauci autem, qvi
se huic scientiæ totos committerent, multos annos
apud unum doctorem commorati sunt, dein longa
per

z) Eunap. Jambl. p. 24. & passim.

a) Eunap. Aedef. p. 36.

b) Eunap. Jambl. p. 22.

c) Ibid. p. 26.

d) Cod. Theod. lib. 16. tit. 10. lex. 7, 9, 12,

per multas regiones itinera suscepérunt. Sic Eunapius a pueritia inde ad annum decimum sextum Chrysanthii auditor, dein quinque annos Athenis degit, unde iter in Ægyptum molitus est e). Themistius vero viginti & tres annos libris bibliothecæ Constantinopolitanæ perlegendis impendit, dein peregre profectus, multas regiones discendi cupidus peragravit f).

Jam eo pervenerant juvenes, ut, si nulli paterno muneri natalibus essent adstricti, meram sibi eligerent, ad quam vitæ dein futuræ cursus flecterentur. Haud pauci edicto Constantini g) invitati, architecturæ colendæ incubuisse videntur. His variæ immunitates concessæ, Imperatorumque in nova imperii sede ornanda solles industria h), privatorumque hominum in ædibus exstruendis profusa luxuria, æquam iis vivendi facultatem procul dubio præbuerunt. Alii vitam litteris impendentes, aut medicinæ studiosi archijatros coluerunt, ut ab iis in suum collegium cooptati, plurimis immunitatibus & salario publico gauderent i): aut lingvæ peritiæ confisi declama-

e) Cfr. vita Eunap.

f) Them. orat. 23. p. 298. B.

g) Cod. Theod. lib. 13. tit. 4. lex. 1.

h) Them. orat. p. 222. C. Zosimus lib. 2. p. 192-193.

i) Cod. Theod. lib. 13. tit. 3. passim. impr. lex. 8. Morem in collegium medicorum cooptandi alii quoque urbibus communem fuisse conjicio. Ibidem causa commemoratur, cur stipendia caperent, scilicet "ut honeste obsequi tenuioribus malent, quam turpiter servire divitibus."

elamationibus inclarescere studuerunt, ut vel ab optimatibus urbium k), vel ab ipso Imperatore l), sive grammatici sive rhetores per provincias constituerentur m). Pauci nobiles a patre milite, matre Christiana quamvis deprecante n), in castra dimisisti militiam profesi sunt; luxuria dein pariter ac desidia commilitonum corrupti o), dum omnia miseris civibus, nil sibi militibusque denegaverint p), provincialium pestes evaserunt; barbaris vero irruentibus, isti plurima fraude gravibusque injuriis plerumque infames, aut fuga turpi stationem sibi commissam deseruere, aut corpora deliciis fracta, nec casidem

nec

k) Cod. Theod. lib. 13, tit. 3, lex. 5, coll. cum lex. 6 & 7.
Exemplum praebet Eunap. in Praes. p. 138.

l) Ita Eumenius a Constantio Chloro designatus, Eum. prae scholis p. 22. B. Cod. Theod. lib. 14, tit. 9, lex. 3.

m) De premissis eloquentiae vid. Liban. in Chriis p. 17.

n) Exemplum exstat Chrys. vol. 1. de opp. vit. mon. lib. 3.
cap. 11. Qvantopere sacerdotes militiam improbaverint,
patet ex Isidoro Pelusiota lib. 1. ep. 390. "ajunt non-
nulli, te ita insanire, ut puerum, quem Deus erudi-
tionis omnis capacem fecit, ad vilem & despicendam
militiam ducere velis."

o) De moribus militum pessimis Chrys. vol. 7. p. 613.

p) Constantinus milites a finibus, in quibus antea excubias egerant, revocatos per provincias dispersit. Zosimus 2 cap. 34. Liban. de patrocinis' vol. 2. p. 520-22. de exactionibus ducum. Milites gregarii paganos inprimis spoliaverunt.

nec loricam patientia, hostibus objecerunt truci-
danda q).

Plurimi autem adolescentes ejus ætatis, viam,
quae vel humillimo cuique r), fortuna ingenium ju-
vante, ad honores divitiasque capessendas lata patuit,
ingressi, in juris scientia addiscenda, legumque far-
ragine cognoscenda explicandaque, desudaverunt.
Juris autem scientiam per orbem Romanum bini tan-
tummodo utriusque Romæ professores & quatuor
Berytenses omnes latino sermone publice tradide-
runt s): si quis in provinciis coeteris legibus publice
interpretandis vacaret, multa severiori t) ob teme-
ritatem suam plectebatur. Hanc igitur ob causam
juvenes, ex provinciis quidem occidentalibus, in-
primis Romam, interdum Constantinopolin profecti
sunt u); longe vero plurimi v) ex præfecturis maxime
orientalibus Beryrum tanto studio ruerunt, ut sophi-
stæ acriter conquesti sint, quod discipuli, scholis
eloqven-

q) Vegetius de re-militari lib. 1. cap. 20.

r) Chrys. vol. 1. p. 84. D. Eunap. Proæref. p. 151. Ana-
tolius, exacta juris civilis scientia clarus, ad munus præ-
fecti prætorii pervenisse dicitur.

s) Cnfr. Hasæus de academia Berytenſi, in nova collect. libr.
rar. Halæ Magd. 1716. in 8vo, fascic. 5. cap. 6. §. 5.
cap. 8. §. 2.

t) Lib. cit. cap. 7. §. 6.

u) Galli in primis & Africani Romam venerunt cnfr. Gothof.
in cod. Theod. lib. 14. tit. 9. lex. 1. p. 198. col. 2.

v) Hasæus 1. c. cap. 10. §. 11.

eloquentiæ relictis, in Phoenicium præoces properarent x). Nec vero quisquam causarum patronus, qui non eo navigaverat, satis idoneus habebatur; nec facile ullus per omnes provincias, cui hæc legum mater y) ignota mansisset, judicibus adfuit assessor z). Attramen ne forte nonnulli, loci celebritate adjuri, postqvam breve tempus in aeroateriis nobilissimis contrivissent, scientiarum rivulis leviter degustatis, ad judicium de vita bonisqve civium ferendum, immaturi prosilirent; lege Diocletiani in codicem Justinianum recepta a) cautum erat, ne quis ex academia Berytenium ante annum ætatis vigesimum quintum ad munera publica vocaretur. Qva præterea lege effectum est, ut petulantia juvenilis sensim sensimqve defervesceret, qvæ tanta in illa adolescentium colluvione grassata est, ut adolescens prodigii instar suspiceretur, qui juris studiosus, Beryto versans, se a tate communi illæsum servavisset b). Nec dein mores in melius fuisse mutatos testatur Cod. Justin., qui scholares ludos suos indignos & pessimos exercere, aut alia crimina, more solito, vel in ipsos

pro-

x) Liban, orat. ult. vol. 3, p. 442. edit. Reiskii.

y) μητερ ταῖς νομικοῖς παιδεύμασι dicitur in Eunap. Proæf.
p. 151. μητερ νομων in ep. Liban, 566.

z) Expos. tot. mundi cap. 17. §. 3. & Gothof, ad h. l. p. 13.

a) L. 10. Cod. tit. 49. de his qui erant vel professione se excusant.

b) Ita de Appiano Martyre Euseb, hist. eccles, lib. 8. cap. 14.

professores, vel in socios, in primis in tirones perpetrare, severissime veruit c); potestate permissa legum professoribus, ut una cum praefide Phoeniciæ & episcopo civitatis in juvenes petulantates animadverterent d).

Hactenus studia enarravimus adolescentiæ munieribus obeundis paratæ. Verum enimvero qvicumque puer monachis a matre pia, interdum patre infuso, educandus erat traditus, aut alio qvocunqve casu in manus eorum inciderat e), delicias pariter ac litteras mundanas, furore qvooam sacro percitus calcavit. Interdum puer nobilis, qvamvis patre stomachante, & monachis ob spem filii sibi ereptam mala qvævis imprecante f), domum paternam & tumultus urbium fugiens, ad montes & solitudines terra monachorum domicilia g) adhuc forte impuber

se

c) Lex. 2. cod. de jure veteri enucleando.

d) Proem. dig. ad Antec. §. 10.

e) Exemplum hujus rei narrat Chrys. vol. 1. p. 96. vol. 1. p. 28, ipse fvasit, ut pueri tempus aliquod cum monachis degerent vol. 1. p. 109.

f) Hæc omnia Chrys. fusa descripsit vol. 1. adv. opp. vit. mon. lib. 2.

g) Rutilius Namarianus in itinerario exemplum affert. v. 519.
Noster enim nuper juvenis majoribus amplis,
Nec censu inferior conjugiove minor,
Impulsus furiis, homines divosqve reliquit,
Et turpem latebram credulus exsul agit.
In felix putat illuvie celestia pasci,
Seqve premit læsis sevior ipse Deis.

se contulit; ibique adolescentulus olim formosus,
pedibus nudis, humi cubans, inter preces continuas
& hymnos nocturnos h) plantare, aquam ferre, riga-
re, cetera monachorum opera vel vilissima nunc
macea & pallidus exercere i). Quem vero pauci imi-
tari vellent, omnes laudibus summis efferre, corona,
si forum forte viseret, densissima cingere k), nec
illi, auri pondus vel sibi vel indigentibus largien-
dum roganti, dives religiosus obsequium facile dene-
gare l). Alii juvenes, qui studiis absolutis, jam
foro inclauerant, omnibus negotiis missis, vitam
durissimam aliquamdiu egerunt m); sive ita in primis
se Deo probare crediderint, sive errores juveniles
voluerint expiare, sive ad munus episcopi forte aspi-
raverint. Qvicunque enim in his eligendis nec ge-
neris claritatem, nec opum abundantiam, nec neces-
studinis gradum, nec adulacionis denique blanditias n)
respexerunt, quod quidem raro accidit, illos potis-
simum,

h) Chrys. vol. I. p. 178. B.

i) Chrys. vol. I. p. 59. Rutilius v. 443. ita.

Munera fortunæ metuunt, dum damna verontur

Quisquam sponte miser, ne miser esse queat?

k) Chrys. vol. I. p. 66. D.

l) Vol. I. p. 62 - 63.

m) Ita Chrysostomus & amicus Basilius.

n) Chrys. vol. I. p. 393. A.

simum, qvi facundiaē cuidam asperitatem vitæ mona-
iticæ conjunixerant, episcopos designaverunt o).

C A P . III.

*De educatione puellarum, deque virginibus Deo
dicatis.*

Multo qvidem brevius educationem puellarum ab-
solvere licebit. Vita enim inter parietes gynæcæi
transacta tam pauca annotanda suppeditat, & monu-
menta istius ævi in his afferendis adeo parci reperi-
untur, ut eas potius res enumerando, qvibus filiæ
caruerint, qvam qvibus fuerint usæ, acqviescere
cogamur.

Nam olim qvidem Romani parentes filias nu-
biles, & modestia nativa turas, & exemplis virtutum
domesticis firmatas, nec ab atrio communi, nec a
ludis publicis, nec ab omni qvidem cum juvenibus
commercio, festis in primis Deorum sollennibus, ar-
cuisse videntur. Sæculo autem ferreo postqvam mo-
res

o) Hinc patet, qyod studia illorum adolescentium, qvi ad
ordinem sacerdotalem aspirarent, si vitæ durtiam &
crebram scripturæ sacrae lectionem excipias, a studiis
coeterorum juvenum haud fuerint diversa. Cfr. exem-
plum Basili Magni & Gregorii Nazianz. in orat. Greg.
Naz. 20ma.

res ad imum ruentes plateas cantilenis meretriciis a), convivia carminibus lascivis, & ludorum editiones multipli turpitudine impleverant; dum præterea servi petulantes & ancillæ lascivæ b) cum pueris effeminatis domorum recessus perstrepuerunt; ut denique materni amores & libido patrum in servas effusa ab oculis filiæ removerentur, puellæ ingenuæ more asiatico thalamis abditæ fuerunt. Qvæ qvidem conseruudo, qvamvis provinciis orientalibus propria videri posit, tamen a sede imperii profecta, præeuntribus provinciarum rectoribus coeterisque magistratibus Constantinopoli missis, ob morum luxuriam ubivis grassantem & vivendi rationem asiaticæ haud dissimilem, ad provincias quoque occidentales procul dubio manavit.

Puellæ igitur custodiendæ vigiles, procubitores, (Φυλακετ, προφυλακεσ) ancillæ, nutricis sedulitas, matris cura, patris denique providentia, præter vecres & januas gynæcæ adesse solebant c). Interdum qvidem aut parentibus aut æqualibus comitantibus, propinquas visere d), sed raro in forum, utpote cincinnatis pudicitiae insidiatoribus plenum e), prodire
puellæ

a) Chrys. vol. 2. p. 153. A.

b) Chrys. vol. 4. p. 710. A. Hieron. vol. 1. ep. 107. p. 681. D.

c) Chrys. vol. 2. p. 640. D.

d) Ambros. vol. 4. p. 475. H.

e) Chrys. vol. 3. p. 222. E. coll. cum Hieron. vol. 1. ep. 107. p. 680. B.

puellæ licuit, nec nisi tenebræ vespertinæ aspectum ejus impedirent f). Convivia forsitan parentum g), at nunquam celebritates, nunquam theatra spectatuaræ freqventaverunt h). Cum matribus igitur suis semper domi versantes, & crebra inter ungventa, balnea, pigmenta, in summa mollitiæ educaræ i), si curam mundi muliebris & longam & gravem excipias k), acu qvidem pingendo, lanificii opere, &, matrem doctiorem forte nactæ, Homero & tragoeiarum comoediarumque scriptoribus perlegendis l), tempus fecellerunt. Juvenes vero, qui omni cum puellis consuetudine destituebantur; si forte fortuna virginis cuidam, aut ecclesiæ aut basilicas martyrum cum matre petenti m), occurserent, decoris ratione habita, illam tantummodo furtim adspicere audiebant: easdem vero in ecclesiis, tabulis ligneis a viorum consortio, non aspectu, sejunctas, longe commodius oculis licuit devorare n).

Tanto vero plura patres ecclesiæ de educatione illarum præceperunt, quas aut pia mater utero vix

con-

f) Chrys. vol. I. p. 398. E.

g) Hieron. vol. I. ep. 107. p. 679. B. Chrys. vol. 5. p. 132. C.

h) Chrys. vol. 4. p. 729. A.

i) Chrys. vol. 3. p. 226. E.

k) Chrys. vol. 11. p. 100. B.

l) Greg. Nys. vol. 2. append. de vita S. Macrina p. 179.

m) Hieron. vol. I. ep. 107. p. 680. B.

n) Chrys. vol. 7. p. 712.

conceptas Deo dicaverat o), aut membro aliquo
 captas pater providus, sponsum scilicet filiae ob
 deformitatem affore desperans, coelesti proco stu-
 duerat despōnfare p). De institutione talis virgi-
 nis Hieronymus, ad matronam nobilem Romæ
 degehtem scribens, hunc in modum præcepit q).
 "Nihil aliud audiret, nihil aliud loqui disceret,
 "nisi quod ad timorem Dei pertineret; cantilenarum
 "nescia, psalterium septennis jam memoriter r) reci-
 "taret. Matura admodum, elementis litterarum luden-
 "do imbuta, ad prandium syllabas jungeret, & mu-
 "nusculis, quibus ætas illa deliniri posset, invitaretur.
 "Haberet in discendo socias, quibus invideret, qua-
 "rum laudibus morderetur: si tardior, non objurganda,
 "sed laudibus excitandum ingenium. Ipsum elemen-
 "torum sonum aliter de eruditio, aliter de rustico ore
 "proferri; magistrum igitur ætatis prolixæ, & vitæ,
 "& eruditionis esse eligendum, ne filia blanditiis
 "foeminarum ineptis verba dimidiata dicere consve-
 "siceret. Proverbiis Salomonis, Ecclesiastæ & Jobi
 "voluminibus perlectis, ad evangelia transfiret, nun-
 "quam ea de manibus depositura: acta apostolorum
 " &

o) Ita Paula filia Letæ prius Deo consecrata fuerat quam genita.

Hieron. ep. 107. p. 674.

p) Hieron. vol. i. ep. 130.

q) Hieron. vol. i. ep. 107. ordinem sententiarum immutavi,
nec verba auctoris anxius semper apposui.

r) Hec addidi ex ep. 128. p. 958. C.

" & epistolas corde toto imbiberet. Pectore his opibus
 locupletato, prophetas, Pentateuchum, regum
 & paralipomenon libros, Esdræ & Hesteri volu-
 mina memoriae mandaret: ad ultimum sine periculo
 canticum canticorum discereret; ne si, ab exordio legis-
 fet, sub verbis carnalibus nuptiarum spiritualium
 epithalamium non intelligens, vulneraretur. Om-
 nia apocrypha caveret, Cypriani opuscula semper
 in manu teneret, per Athanasii epistolas & Hilarii
 libros inoffenso pede decurreret; cæteros ita lege-
 ret, ut magis judicarer, quam seqveretur. Tibia,
 lyra, cithara, cur factæ essent, ignara, Græcorum
 tamen versuum numerum disceret, eruditione latina
 statim seqvente s). Lanam præterea faceret, tene-
 ret colum, staminæ pollice duceret. Ante annos
 robustæ ætatis gravem esse teneris abstinentiam, eo
 usqve, si necessitas postularet, adiret balnea, & vi-
 no modico & carnis edulio uteretur. Postea cibus
 ejus oluseulum, & simila, rariqve pisceculi. Ita
 comederer, ut semper esuriret, nec parentum co-
 viviis interesseret, ne cibos videret, qvos forte desi-
 derarer; quadragesimale vero jejunium in primis sol-
 licite observandum: lavaca in adulta virgine oin-
 nino displicere, qvæ se ipsam erubescere, & nudam
 videre non posse deberet. Ne quis aures ejus per-

"fora-

s) Id. vero Greg. Nysf. improbat vol. 2. app. p. 179. de vita S. Macrina.

"forarer; nec collum auro, nec caput gemmis onera-
ret; nec capillos irruans, aliquid de ignibus gehen-
næ illi auspicaretur: pro gemmis & serico divinos
codices amaret; non vero aurum & pellis Babylo-
nicæ pictura vermiculata, sed emendata & erudita
distinctio pietati placeret. Grandiuscula facta ad
templum veri patris cum parentibus pergeret, sed
diutius illis ibi moraretur, & matre semper conco-
mitata juvenum, in primis cincinnatorum, oculos
diligenter caveret."

Qvod talem igitur institutionem næc diurnas
psalmorum recitationes hora diei tertia, sexta, nona,
ad vesperam, media nocte & mane, instituerint, alias
præterea horas, missa laniſcio, sacræ scripturæ perle-
gendi, alias eidem ediscendi, quotidie assignave-
rint ^{t)}, interdum peregrinationes in Palæstinam susce-
perint ^{u)}, quantumvis denique vitæ monasticæ aspe-
ritatem sponte subierint, facilius potest intelligi. Si
vero narratur puellas, nondum viginti annos natas,
subito veluti furore correptas, omnem mollitiem
fastumque calcasse, & educationis oblitas, pro lin-
teis tenuissimis nuda corpora ciliciis asperrimis in-
duisse;

^{t)} Hieron. vol. 1. ep. 130. p. 985. D. Causas mysticas, cur
singulis hisce horis orandum, dedit auctor opusculi ope-
ribus Athanasii inserti, vol. 2. p. 116. F. 117. A.

^{u)} Hoc vero improbat Greg. Nysf. edit. Parisiis 1615. vol. 2.
p. 1084-85. Multi homines jam ea ætate Bethlehemum
profecti sunt. Chrys. vol. 1. p. 561. C. vol. 5. p. 259. A.

duisse; teneros calcaneos nullis calceis alligasse, maijore noctis parte vigiliis consumpta, pro molli cubili in toris cubasse gramineis, capit is ornatum, tantæ olim curæ, nunc omnino squalere, cibum, spreta epularum luxuria, modo sub vesperam cepisse, & quidem vilissimum, similam forte & fabam cum cicere oleo & fico, perpetuum denique lanificium exercentes, pauperibus interdum fovendis, lavandis cibas disque, velut ancillulas & coquas summopere inten-tas, opera vernarum domesticarum longe graviora alacriter p̄fecisse. Hæc inquam omnia de iis allata, quas olim vitam mollissimam inter plurimas delicias, totas famularum greges, rosarum & ungventorum fragrantiam, egisse constaret v), fide forsitan majora viderentur non reputanti, quam mira & insana mens juveniliter æstuans, litteris exiguis aucta, nullo fere rerum externarum strepitu distracta, somnia sua assidue persequebatur, machinari queat x); quid summæ præterea in omnium ore laudes y), cuivis vel defor-mi, vel imbecilliori, nisi quodam voluntatis facile assequendæ, in vanum puella pectus efficere valeant.

Ne

v) Chrys. vol. 11. p. 100. B-E.

x) Concilium Gangrense (cod. can. Just. can. 68) eas excommunicavit, quæ virginitatem non sanctitatis studio, sed nuptiarum horrore appeterent. Non igitur defuerunt hujus furoris exempla.

y) Chrys. vol. 1. p. 260-63.

F

Ne voces concionatorum creberrimas commemorem,
qvibus maximum numinis favorem, & expeditissimam ad gaudia coelestia viam z), virginitatis studio parari, omni eloquentiae impetu fraudere conati sunt. Præter illas denique, qvas amantis perfidia, & nuptiæ frustratæ, & ætas jam olim viro matura, ad castitatem coactam amplectendam impulerant a); sedilia qvoque in ecclesiis insignia, & oscula amplexusqve a matronis nobilibus in conspecta omnium virgini veluti sanctiori digniorique data b), & virginis Deo dicatae incessus per forum digitis admirantium insignitus c), hæc omnia veluti totidem virginitatis amplectendæ lenocinia haud paucos flexisse videntur.

Nonnullæ igitur viræ suæ aperitatem ostentatæ, faciem, qvæ præ inedia pallentem, misere atrebant; si in conventum vel fratrum vel sororum eundum esset, humeris alterius innixæ deficientis gressus imitabantur; intromissæ sedes humillimas, sca-

bello

z) Chrys. vol. I. p. 275. C. "Bonum est matrimonium prop-
"terea virginitas admiranda, qvæ bono est melior." Hieron. adv. Jov. lib. I. vol. 2. p. 306. C. "Qvo-
"modo absqve coeteris operibus virginitas sola non sal-
"vat, sic omnia opera absqve virginitate, puritate,
"continentia, castitate imperfeca sunt." Omnes fere pa-
tres ecclesiæ in laudes virginitatis libros prolixos exara-
verunt.

a) Basil. Mag. edit. Bened. vol. I. p. 169. A.

b) Ambros. vol. 4. p. 452. K.

b) Chrys. vol. I. p. 263.

bello se indignas causantes, semper affectare; præ-reunte aliquo ingemiscere, demittere supercilium & facie operta, vix unum oculum ad videndum liberare, alloqventi vero voce tenuissima veluti jejuno penitus confecta respondere. "Illi" conclamat denique Hieronymus d), "vestis quidem pulla, cingulum sacrum, manus pedesque sordidae, at venter, quia videri non potest, cibo astuat."

Multo autem plures, sexus sui consuetudinem haud abnegantes, studium placandi, quod vestibus inauratis induitæ exseruerant, in sordidis adhuc retinuerunt. Quamvis igitur vestem superiorem intinctam, aut colore nativo nigricantem, aut onychinam, pro more gererent, Maforre porro & superhumerali e) nullis fimbriis ornata haberent, & tonsos capitum capillos f) cucullo, brachia ad digitos usque manicis, tegerent: attamen ipsa vestis pulla, dum rugam non haberet, dum per terram, ut virgo altior incederet, traheretur; manicae præterea tam arcte constrictæ,

F 2

ue

d) Hieron. ep. 22. p. 109-110.

e) Athanasi opera, Parisiis 1698. vol. 2, de virginitate p. 110. seqv. Hoc quidem opusculum, utpote recentius, Athanasio quidem falso attribui constat; attamen valde antiquum & sere Augustini ætate scriptum videtur. Hieron. vol. 1. ep. 118. p. 781. D-E.

f) Hieron. vol. 1. ep. 22. p. 96. D. Verba Hieron. obscuriora explicare conatus sum.

ut toros brachioli probe ostenderent g), volitans porro Maforte, & tunica de industria ita diffusa, ut qvod intus formosum appareret, hæc omnia severis qvidem judicibus multa latitantis jactantiae signa præbere visa sunt. Caliga quoque ambulantis nigella ac nitens, stridore juvenes, ut suspicatur Hieronymus h), ad se vocare debuit. Justæ forsitan suspicioni morum judices tanto majorem vim inesse crederunt, qvod virgines papillas fasciolis comprimerent, pectus cingulo crispante angustius arctarent, capillosque, cucullo paululum remoto, vel in frontem vel in auras diffluere sinerent. Id denique patres ecclesiæ decoris tuendi studiosissimi ægre tulerunt, qvod palliolum ita interdum caderet, ut humeros candidos nudaret, virgo autem quasi videri noluerit, id festina celarer, qvod volens detexisse crederetur. Nec monita fuisse vana, ingens testatur numerus virginum, qvas Hieronymus jacturam pudicitiae fecisse deploravit i). Nondum vero omnium nubendi spe puellæ virginitatem professæ hac ætate caruerunt, siqvidem earum matrimonia, pro ratis habita,

g) Virgines sacras capillitum tondere mos erat in Ægypto & Syria vulgaris. Hieron. vol. I. ep. 147. 1083. D, qvamvis & canonibus conciliorum cod. Just. can. 68. & legibus imperatorum improbatus: plura vid. apud Bingham in orig. eccl. lib. 7. cap. 4. §. 6.

h) Hieron. vol. I. ep. 118. p. 781. D-E.

i) Hieron. vol. I. ep. 22. p. 95. C.

habita, notam modo ecclesiasticam subiisse k) videntur. Juvenes vero, eas ambientes, Honorii quidem edicto gravissime plectebantur l).

Tantus autem virginum numerus per orbem Christianum succreverat m), ut hæretici coetum catholicorum, ob virginum sacrarum agmen jam fere mulieribus numerosius, haud parvo jure crimina-rentur n). Catholicis vero in promptu erat responsio, qvod Deus genus humanum, qvamvis nulla fierent matrimonia, miraculo propagare potuisset o); in primis vero, qvod virginitatis studio genus humanum mirum in modum cresceret, siqvidem Deus, tanta tot virginum pietate delinitus, matres quidem familias tanto foecundiores esset redditurus p), ut ita virginum sterilitas orbem romanum esset foecundatura.

CAP.

k) Cod. can. Just. can. 39. & Bingham orig. eccl. lib. 7. cap. 4. §. 4-5.

l) Cod. Theod. lib. 9. tit. 25. lex 3.

m) Chrysostomus vol. 9. p. 567. D. pro concione Iætabundus affernit, virginum choros & monachorum fodalitates jam plures esse, qvam illorum, qui connubio essent juncti.

n) Ita Faustus apud August. oper. edit. Bened. vol. 8. p. 316. D.

o) Chrys. vol. 1. p. 280. A.

p) Ambros. vol. 4. p. 484. de Virgin. lib. 3.

C A P . IV.

*De muptiis, vita conjugali & virginibus
subintroductis.*

Primi reipublicæ Romanae conditores, eorumque per aliquot sœcula nepotes, vitam asperam ex agrorum proventu sustentabant; unde igitur suas uxores, quæ viris in bellum profectis, & famulitium & opera regebant, iisdemque in agro laborantibus laborum aderant sociæ, non exiguo loco aut pretio habuerunt. Matres vero familias multis variisque curis domesticis exercitas, in societatem præterea consiliorum a marito saepius assumtas, haud levi rerum usu & experientia gavisas fuisse, facile colligitur. Hinc matrimonia faustis auspiciis mature inita, prospera liberorum matre provida moderante educatio, eura rei domesticæ levior marito, nec modica conjugis apud conjugem ob mutuam sibi utilitatem aestimatio, magna denique felicitas domesticæ firmum reipublicæ columen dum penates marito, post labores exhaustos domum reverso, gratissimam præbuerint requiem. Raræ autem diviriae morumque simplicitas matronæ vel nobiliori curas recusare domesticas vix permiserunt. Dein vero studia urbana labores rusticanos exceperunt, & acervus nummorum indies crescens priscam parsimoniam invisam reddidit. Tum matronæ nobiles familiæ gubernationem spēnere, parvulos educan-

educandos fastidire, vicinas vero & cognatas mundo
muliebri & ornatu vario acriter æmulari. Interea
mariti primo in Græciam, postea in Asiam delapsi,
peregrinata discere luxuriam, & priscam in moribus
simplicitatem sensim sensimqve oblivisci, domi vero
reduces tædio confici, & focum avitum superbe con-
temnere, mox igitur pompaqñ qværere Asiaticam, ut
soltis deliciis fruereprur, conjugis vero gremium
fugere, eamqve consiliorum sociam reformidare.
Hinc mutua dissidia, liberorum neglectus, & invisi-
urriqve conjugi penates: jam igitur matrimonia ra-
rescere, & ultra maturitatem longe differri, dum
qvisqve cunctando uxorem bene nummatam sollicite
circumspiceret, nec tantam molestiam rebusqve suis
ruinam, dum summus divitib⁹ orbis honor habere-
tur, temere nancisci voluerit. Multa qvidem ad-
versus hanc pestem ab Augusto legibus fuerant faneita,
attamen vicit luxuria qvavis auctoritate fortior; nec,
moribus in præceps ruentibus, tales parentes poste-
ros se meliores gignere potuerunt.

Hinc ævo qvidem Theodosii concionatores pas-
sim adhortati sunt parentes, ne filios juvenes sinerent
scortis & aleis deditos infrenes discurrere; sed uxo-
rem potius castam & prudentem, qvæ virum & a
mala consuetudine & a Theatrorum deliciis abige-
ret, filio adolescenti, anteqvam militiam vel ullum
aliud vitæ genus sectaretur, eligere properarent a).

At

a) Chrys. vol. 7. p. 604. A. vol. 11. p. 463. A.

At exiguo fructu hæc monita jactabantur, dum patres nobiliores, qui mores filii adulti minime curarent, id summo egerunt studio, ut adolescens munere aliquo gerendo inclareceret, ut ita, quamvis voluptatibus effoetus, divitem duceret uxorem b).

Nam patre vivo, vix filius puber uxorem sibi aptam ipse quæsivisse videtur. Sive omni cum pueris commercio destitutus, nihil ipse, quod sequeretur, haberet; sive hanc rem, veluti negotiationem quandam c) patri, utope mercatori peritiori, lubenter commiserit; sive potius auctoritas paterna, cui tamen, nuptias invisas jubenti, filio æque ac filiae sequium denegare licuerit d), munus ambiendi sibi arrogaverit. Quidquid demum fuerit, inter parentes omnis res transacta e). Pater adolescentis ad parentes puellæ dirioris currere, varie illis blandiri, multas pronubas f) pronubosque cogere, & magnam adhibere sollicitudinem, non quidem de moribus aut educatione puellæ sibi filioque omnino ignoræ g), sed

de

b) Chrys. vol. 7. p. 604. C. vol. 11. p. 146. D.

c) Chrys. vol. 4. p. 710. C.

d) De filiis cnfr. Diocletiani lex. in Cod. Just. lib. 5. tit. 4. de nuptiis lex. 12. De filiabus Cod. Theod. lib. 3. tit. 5. de iponsalibus lex. 6.

e) Chrys. vol. 5. p. 515. D. vol. 7. p. 604. C.

f) Chrys. vol. 10. p. 120. B.

g) Hieron. vol. 2. adv. Jorin. p. 314. "si uxor deformis, si superba, si foetida, quodcumque vitii est, post nuptias discimus."

de pradiis deque varietate possessionum ejus accuratissime perquirendo h). Quidcumque autem patre adjutore destitutus uxorem duxurus erat, jurisperitos frequentans sollicito inquisivit, quid futurum, si decederet uxor, liberis nullis relictis, quid, si filium relinqueret, quid item, si duo aut tres essent superstites, tum quomodo, vivo patre suo defunctove, rebus suis esset usura, quantum de ejus patrimonio marito, quantum fratribus mulieris contingere, quando denique universa uxor bona retinenda, aut omnia aliis cedenda i).

Singula vero pacta, donaque & viri & uxoris mutua, in tabulas summa cauzione referebantur k). Unde multi formula loquendi haud incongrua dixerunt: "hic cum illa permittavit" (*συνηλαζεν ο δεινα της θειης*) nuptias celebratas indicatur l). Molestiae haud paucæ in ipsis nuptiarum initiis inde exortæ sunt, illinc sacerdote dorem quasi rem gratuitam haud comiter sane reddente, hinc sponso, qui totam nancisci studebat, cum verecundia exigere coacto, dum nova interea nupta, solutionis dilatione pudefacta, virum improbo quoque debitore magis revereretur m). Nihil tamen fecius interdum accidit, ut, qui forte omnem

pœu-

h) Chrys. vol. 7. p. 713. A.

i) Chrys. vol. 3. p. 212. D. E.

k) Cod. Thœd. lib. 3. tit. 5. Iex. 1. Chrys. vol. 4. p. 489. C.

l) Chrys. vol. 7. p. 713. A.

m) Chrys. vol. 1. p. 317. A.

pecuniae vim in dote uxoria acq[ui]renda consumisset, obitu conjugis præmatu[ro] dotem omnem affinibus numerare coactus, etiam suarum opum faceret jacturam n). Nec defuerunt, qvi postqvam, ementito puellæ consensu, rescriptum aliquod Imperatoris de connubio incendo impetraverant, nuprias & ipsi puellæ & parentibus invisas extorquere conati sunt; nec rari exstiterunt magistratus provinciales, qvi, potestate sua abusi, virgines viduasq[ue] cum magna dote, clientibus suis ducendas, vi iudiciorum addixerunt: utriq[ue] audaciae Imperatores legibus severis obviam iverunt o).

Si veri parentes annuisserint, multi missis arrhis cum puella ne decem qvidem annos nata sponsalia fecerunt; ut hoc forsitan pignore uxorem bene dota[m] mature sibi prospicerent p). Si ætas autem puellæ permitteret, qvæ duodecennis matura habebatur q), factis coram decem testibus sponsaliis r), dato osculo s), dextris pro more junctis t), nupriæ intra bien-

nium

n) Hic locus a Chrysostomo vol. 3. p. 218. C. pro concione allatus satis evincit, [nonnulla pacta nuptialia, Antiochiae saltem, has doris conditiones sanxisse, quamvis cod. Theod. lib. 3. tit. 13. lex. 3. haud eo conspirare videatur.

o) Cod. Theod. lib. 3. tit. 10. lex. 1. tit. 11. lex. 1.

p) Cod. Theod. lib. 3. tit. 5. lex. 6.

q) Cod. Theod. l. c.

r) Ambros. vol. 4. p. 452. G.

s) Cod. Theod. lib. 3. tit. 5. lex. 5.

t) Bingham Hist. eccles. vol. 9. lib. 22. cap. 3. §. 6.

nium seqvi debeant u); qvæ qvidem, modo inter pares honestate personas, nulla lege impediente, fieret consortium, consensu mutuo & amicorum fide firmatum, ratæ omnino habebantur v).

De benedictione autem sacerdotali in nuptiis haud omittenda altum in codice Theodosiano silentium ob servari mireris. Qvamvis enim antiquiores Christiani, dum pietatem in omnibus vitæ negotiis exercere studuerint, yota fausta, in coetu fraterno a sacerdote pro lata, felicis ominis causa excipere soliti fuerint x); attamen mos ille, postquam religio Christiana victrix evaserat, in desuetudinem abiisse videtur. Plurimi enim divites solita gaudia, & pompam nuptialem, & festi licentiam, sibi eripi ægre sustinuerunt. Dum igitur proceres magna celebritate nuptias confidentes, intromisisst hysmelicis, sacerdotes y) fugissent; tenuior quisque morem haud sibi ingratum imitari minime cunctatus est. Consuetudo igitur illa ita Antiochiæ invaluerat, ut Chrysostomus, adversus pompam nuptialem concionatus, veniam sibi deprecaretur z), qvod morem & antiquum & vulgarem convelle-

re

u) Gothof. ad Cod. Theod. lib. 3, tit. 5, lex. 4.

v) Cod. Theod. lib. 3, tit. 7, lex. 3.

x) Gothof. ad Cod. Theod. lib. 3, tit. 7, lex. 3, & Bingham ant. eccl. lib. 22, cap. 4, §. 1.

y) Cod. can. Just. can. 158.

z) Chrys. vol. 3, p. 155. B. vol. 4, p. 540. B. vol. 10, p. 104. C.

re auderet: nec minor in nuptiis celebrandis licentia
in Africa a), in Italia b), & Constantiopoli c), vi-
guisse videtur d).

Ritus autem nuptiales, quos plurimos antiquitas
haud vano consilio excogitaverat, temporis quidem
decursu, cum mores immutati priscæ originis obli-
vionem induxerant, in vanos lusus abierunt; attamen
facile ferendi, si modo innoxii morum honestatem
nulla injuria affecissent.

Die igitur nuppiarum, adventante vespere, viri
scenici, mimi, & saltatores una cum saltatricibus e),
ingens hominum multitudo mercede conducta, ad
ædes sponsæ confluxit, & lautis epulis plurimoque
vino sese ingurgitavit f). Tenebris obortis g), sponsa
flammeo velata, solutis crinibus h), domo paterna
egrediebatur, & carpento nuptiali impositam i) ma-
trona-

a) Hieron. vol. 1. ep. 130. p. 973. B. Stridor punica linguae
procacia tibi fescennina cantabit.

b) Sidon. Apoll. lib. 1. ep. 5. Claudiani epithal. Honor. v.
285-288.

c) Chrys. vol. 9. p. 322. C.

d) Si mos Antiochiae fuisset peculiaris, haec orator, ad suam
severitatem defendendam apprime facientia, haud omisisset.

e) Chrys. vol. 3. p. 196. B. vol. 4. p. 539. C. vol. 11. p.
418. A.

f) Chrys. vol. 4. p. 490. D.

g) Chrys. vol. 10. p. 105. B.

h) Optatus Milevitanus. lib. 6. p. 116. edit. Parisis 1679.

i) Claud. epithal. Honor. v. 286. Chrys. vol. 3. p. 226. D.

tronarum virginamque chori k) comitabantur. Ipsa
mater sponsae cum pueris patrimis l) multisqve aliis
m) tredas conjugales prætulisse videtur n). Seqveba-
tur honoris causa ancillarum virginum tripudiantium
& cantilenas canentium domestica cohors o). Sceni-
corum mimorumque turba in summam effusa licentiam,
ut eqvi hinniit, ut asini calcitravit, mulos & came-
los subsiliendo retulit p). Pars ebria multo vino
procaces fescenninos q) & hymnos lascivos in ho-
norem Veneris decantavit r). Alii homines fugitivi
& verberones, permisisis jocis exsultantes s), morda-
cibus

k) Chrys. vol. 11. p. 418. D.

l) Hieron. vol. 2. p. 314. coll. Festus ad voc. patrimus.

m) Chrys. vol. 4. p. 541. E.

n) Claudian. in Rufin. lib. 2. v. 97. de 3 cons. Honorii v. 155.

o) Chrys. vol. 7. p. 497. B. vol. 10. p. 106. C. vol. 11.
p. 418. D.

p) Chrys. vol. 9. p. 322. D.

q) Chrys. vol. 10. p. 104 & 106.

r) Chrys. vol. 3. p. 195. D. vol. 11. p. 154. A.

s) Claudiani fescennina in epithal. Honor. v. 129-30. quod
quidem carmen in primis versus finem satis ostendit, in
nuptiis etiam Imperatorum versus lascivos suisse decan-
tatos. Add. Sidon. Apollin. lib. 1. ep. 15. "inter scur-
rilitates histriorum totus actionum seriarum status pe-
"regrinatur" de nuptiis Ricimeri. Claudian. nuptias
Thetidis describens in epitkal. Honorii praefat. v. 9.

Terpsichore facilem lascivo pollice movit
Barbiton, & molles duxit in antra choros,
Carmina nec superis, nec displicuere Tonanti,
Cum teneris noſſent congrua vita modis.
Ritum nuptialem ſue ætatis exprefſiſſe videtur.

cibus dicteriis & lascivis salibus, nunc sponsum nunc sponsam, coram omnibus more solito traducentes, impune petierunt t): & certamine qvodam petulantiae inito, pro se qvisque plurima convicia & verba obscena ingerendo, cum magna audientium voluptate u) ejusdem certaminis æmulos vincere studuerunt.

Jam ne forte pompa, per plateas ornatas incedens v), vicinos somno sopitos falleret; cymbalæ, tibiæ & fistulæ x), cum canticis clamoribusqve miscebantur, ut plurimi strepitu excitati, ex cancellis fese inclinantes y) hoc pulchro spectaculo fruerentur. Postqvam pompa ad ædes sponsi, vasis aureis, speculis & taperibus commodato acceptis eleganter admodum ornatas z), tandem pervenerat; sponsus, corona redimitus a), sponsam, a parente aut pronuba cyclade b) ornata sibi traditam, tacitus exceptit c), flam-

meum-

t) Chrys. vol. 3. p. 197. B.

u) Chrys. vol. 4. p. 541. B. vol. 10. p. 101.

v) Pontius Paulinus epithal. Juliani poema 24. v. 31. edit. Muratorii in fol.

x) Chrys. vcl. 1. p. 352. C. D. vol. 3. p. 195. vol. 4. p. 490. D. vol. 9. p. 322. D. vol. 11. p. 154. C.

y) Chrys. vol. 10. p. 106. B.

z) Chrys. vol. 4. p. 2. E. vol. 11. p. 422. C.

a) Chrys. vol. 1. p. 352. C. D. Sidon Apoll. lib. 1. ep. 5.
"jam corona sponsus honoratur."

b) Cyclas dicebatur velamen rotundum & circumtextum. vid. Savaro ad Sidon. Apoll. p. 40.

c) Interdum sponsa ante sollemnem deductionem marito tradebatur: ita filia Anthemii Sidon. Apoll. lib. 1. ep. 5.

meumque ab ore trepidæ puellæ sublevavit d). Interea pompa concomitans haud dissolvebatur, sed, sponsa in thalamum abducta, saltatrices & reliqua scenicorum caterva in ædes recepta convivas ludendo oblectabat e). Tandem postridie nuptias convivia lauta, repotia dicta, apud novum maritum denuo instaurata f), ex quibus, si honestiores essent nuptiae, singuli amicorum numisma auro cusum véluti sportulam reportare solebant g).

Ex hac vero nuptiarum celebritate multa & varia castis moribus detrimenta fluxerunt. Virgo tenera prout a virorum consortio in thalamo prius educata, ad sponsum sibi fere ignotum ducenda, magna virorum impudicorum & exsultantium corona cingebatur: quid summa licentia gaudio & vino incalefens, virginibus cum pueris permixtis, perpetrare auderet, oculis usurpare cogebatur; dum mimici interea sales, & turpia cantica, & procaces fescennini undique circumstrepuerunt h), tanto majores aculeos in animo sponsie relictura, quo magis formulis inauditis castas puellæ aures obtunderent. Interdum pectus

virgi-

d) Claudian. in Iunum conf. Stilich. lib. 2. v. 358.

e) Hæc collegi ex Chrys. vol. II. p. 418. A. & vol. 9. p. 322. C.

f) Symm. lib. 7. ep. 19. & Festus lib. 16. ad vocem repotia.

g) Symm. lib. 4. ep. 55. & Jureti Miscellanea p. 136. Amis. Matcell. lib. 14 cap. 6. p. 21.

h) Chrys. vol. 4. p. 490. E. p. 593. C.

virgineum in hunc vel illum, aut mimorum aut saltatorum, exardescens, aut exorta talis amoris suspicio, conjugium novum labe pessima infecit i). Sæpius adhuc sponsus, saltantis alicujus scenicæ præstigiis captus, in ipsis nuptiis nuptam fastidire dedit k). Hinc pius ille Chrysostomus pompam nuptialem severissime exagitans, totam rem a diabolo inventam fuisse probabile duxit l). Ex hujus enim concionatoris sententia malus dæmon, postquam animadverterat, quod homines istius ætatis existimarent, ipsam veluti naturam mulieres a ludis spectandis arcuisse, novas insidias pro versutia sua machinatus, omnem theatrorum turpitudinem in gynæcæum hac nuptiarum celebritate invexerat. Nihilo tamen secius plurimi antiqvam consuetudinem haud esse refecandam dicentes, pulchram sponsæ suæ speciem multis ostentando, gloriolam quandam quæsiverunt m); multiqve deductionem sollennem rem adeo gravem esse crediderunt, ut necesse fuerit lege fanciri, nuptias, pompu & reliqua celebritate destitutas, pro ratis esse habendas n).

Matrimonio igitur his anspiciis inito, vir quidem prudentior in ipsis initiis uxorem, & mariti

reve-

i) Chrys. vol. 10. p. 105. A.

k) Chrys. vol. 3. p. 197. D.

l) Chrys. vol. 11. p. 417. E.

m) Chrys. vol. 10. p. 105. A.

n) Cod. Theod. lib. 3. tit. 7. lex. 3.

reverentia & rerum novitate adhuc timidiusculam, ad nutus suos formare, & veluti ceram mollem fingere aggrediebatur o): hoc enim omisso, mulier fiduciam & dicendi libertatem nacta, omnia domestica, teste Chrysostomo, misere & confundere solebat p). In primis vero uxor bene dotata marito pauperiori plurimas molestias facescivit. Qvotidie enim gravem prodere mentis superbiam q), conjugi pauperiem arroganter objicere, & sumtus facere intolerabiles ex suis se erogare jactans r); ad hæc servorum contumeliae, qvæ domina præeunte a dictoriis in herum effutiendis haud abstinuerunt s).

Alium discordiæ conjugalis fomitem sterilitas præbuit, qvam multi magna cum acerbitate miseris uxoribus in vitium verterunt t). Longe vero sæpius mutua conjugum suspicio, interdum vana, pacem domesticam discordia ferali turbavit. Nunc uxor, forsitan indignata, qvod maritus totum diem amicis,

sibi

o) Chrys. vol. II. p. 154. C.

p) Ibid.

q) Chrys. vol. I. p. 314. D.

r) Chrys. vol. II. p. 156. E. Hieronymus igitur effatum Theophrasti ad suam etatam translulit "pauperem uxorem alge "difficile est, divitem ferre tormentum," adv. Jov. vol. 2. p. 314.

s) Chrys. vol. 7. p. 713. D.

t) Chrys. vol. 4. p. 384. C. p. 706. C.

sibi modo vesperam daret u), acerbius conquesta est,
dicens "qvid in foro egisti, cur vicinam aspexisti,
cur cum ancillula es locutus v)." Nunc pulcher
uxoris servus, & puer patrimus, & formosus affecula,
& calamistratus procurator, & spado matronis haud
ingratus, aut aruspex, aut hariolus, aut gemmarum
vestiumque sericarum institor, intromissi, veluti la-
tentest adulteri marito multam bilem moverunt x);
& uxor a marito verberata gemitu atque ululatu com-
pita interdum implevit y). Et hæc quidem omnia
incerta adhuc suspicione orta sunt. Si manifestum
aliquid uxoris crimen deprehensum fuisset, vir legum
severitate adjutus, foeminam sibi olim carissimam,
in judicium adductam neci tradere potuit z), ipse
licet multo sibi plura indulisset immunis ab omni
poena futurus a). Qvin adeo lex Constantini in co-
dicem Theodosianum recepta, quam vero Hono-
rius deinceps emollivit, mulieri repudium marito,
nisi homicidæ, venefico vel sepulchrorum effosiori,
mittere prohibuit; si uxor ebriosum, aleatorem &
mulierosum repudiare ausa fuisset, omni dote mul-
tata,

u) Chrys. vol. II. p. 152. B.

v) Hieron. adv. Jor. vol. 2. p. 314.

x) Ibid.

y) Chrys. vol. 10. p. 238. A.

z) Chrys. vol. I. p. 314. A.

a) Chrys. vol. I. p. 314. A. Gothof. ad Cod. Theod. lib.
3. tit. 16. lex. I. p. 312, col. A.

tata, pro tanta sui confidentia in insulam erat deportanda b).

Quamvis igitur conjux miseranda conjugem amoribus meretriciis, qvæ plurimis nullo modo illicitæ viderentur c), astuare animadverteret; attamen racendo plerumqve contabuit, metuens, ne audax foemina, qvæ maritum præstigiis fascinaverat d), incantamentis & venenis mortem sibi immitteret ærumnosam e). Nec non ipsos maritos haud numero paucos philtra, a meretricibus nimis sollicitis mixta, aut vitæ luce, aut rationis usu spoliaverunt f). Status denique domesticus plurimum Veneri lascivæ formitem non potuit non præbere. Cuivis enim paululum pecunioso toti ancillarum greges domi prostabant, qvi hero flagitanti nihil facile denegassent: unde omnem Salviano fidem vix detrectare licebit, qvi omnes patresfamilius vaga Venere furentes, & in Aqvitania, & in Hispania, & suo qvidem judicio

G 2

ubivis

b) Cod. Theod. I. c.

c) Chrys. vol. 3. p. 198. vol. 9. p. 699. D. Salvian. lib. 7. p. 153.

d) Chrys. vol. 8. p. 470. illam describit servitutem, in quam meretrices amatores suos redegorant "si illa convitietur, si in faciem conspuat, illi se rosis aspergi putant," p. 471. B. "si meretricis ancillulam viderint amatores, barbam licet, in medio foro stantes, blando sermone & vultu hilari diutius alloqvuntur."

e) Chrys. vol. 1. p. 314. vol. 9. p. 699. D.

f) Chrys. vol. 3. p. 201. B.

ubivis terrarum, tanquam ancillarum maritos coloribus depinxit terribilis g). Si vero materfamilias, quamvis marito carens sui juris esset, servum e multis unum liberaliter forte educatum deperiens, eundem matrimonio sibi jungere sustinuerat; lex Constantini in codicem Theodosianum recepta, interemeratae forsitan nobilitatis propagini consulens h), ipsam capitali quidem sententia, amatorem autem ignibus comburendum, damnavit i). Deinceps igitur matronae tali flamma exardescentes, servis libertate demum donatis nubendo, minas edicti gravissimas effugere conatae sunt; donec novella Anthemii Augusti etiam hoc ultimum refugium ipsis abstulerit k).

Cum tanta igitur incommoda jugum matrimoniale mole sua gravare viderentur; multi l) alia quadam ratione consortio muliebri gaudere conati sunt. Virgines enim Deo dicatas sollerter investigantes, si forte illarum pulchram, nec re familiari omnino destitutam reperissent m); hanc verbis delinitam dominum ducentes ad extremam usque senectutem thalamis inclusam secum retinuerunt n). Hoc autem vel

illo

g) Salvian, de gubernatione, p. 153 - 157.

h) Hanc rationem diserte assert novella Anthemii.

i) Cod. Theod. lib. 9. tit. 9. lex. I.

k) Novella Anthemii tit. 1. ad calcem Cod. Theod. vol. I.

l) Chrysostomus, vol. I. p. 228. D.

m) Ibid. E.

n) Ibid. B.

illo eriminante, qvod libidinis causa ita egissent, rem
 veluti indignissimam cohorrescentes, clamitabant,
 "se illas omnino incorruptas servare o); pietate enim
 tactos illis miseris opem tulisse, nē impii sycophan-
 "tae omni auxilio destitutas p) impune vexarent; eas
 "porro domos suas familiamque regere g), & sibi
 "ipsis veluti famulas ministrare." Hæc vero omnia
 Chrysostomus vana & futile esse pronuntiavit. Post-
 qvam enim ipse virgines adspexerat subintroductas,
 formæ venustate pulcherrimas, & simpliciore qvo-
 dam vestimentorum cultu mirifice placentes r), hanc
 formæ pulchritudinem, qvæ nullo puerperio delibata
 ad annum usqve quadragesimum nitere solebat, &
 dulcia cum virginibus colloquia, tanquam latentes
 hujus societatis causas se detexisse, nullus amplius
 dubitavit s). Vir autem abstinentiam professus tene-
 ræ puellæ consuetudine ita delectabatur, ut omnem
 æratem in thalamo virgineo consumserit: unde ho-
 spes ædes intrans calceos muliebres suspensos, & cingula,
 & mitras, & calathiscos, & reliqua instrumenta
 foeminea hinc illine per domum coelibis sparsa mi-
 raretur t). Si autem vir divitiis affueret, multa &

varia

o) Ibid.

p) Chrys. vol. I. p. 238. D. E.

q) Ibid. p. 240. E.

r) Chrys. vol. II. p. 591. D. E.

s) Chrys. vol. I. p. 228.

t) Ibid. p. 242. A.

varia negotia in usus virginis suscipienda, qvæ summo se obseqvio coli animadvertens, mox hæc, mox illa imperare haud verebatur u); vir autem maximas virginis imperanti gratias agens, ipse vasa muliebria argentariis afferre; subinde num speculum dominæ præparatum esset, num cadum absolvissent, num reddidissent lecythum, rogare, hinc iterum ad unguentarium currere de aromatibus dominæ collocuturus, ab ungventario ad vendentem linteas, ab illa ad aulæorum textorem, & ita impransus ad vesperam usqve, officinis affixus perseverare v). Si qvædam neglexisset, aut ancillis pensa distribuisset socordius, ipsum virgo convitiabatur, qvæ igitur servitiis, si displicuissent, multo minus indulxit; servi vero verberibus male affecti, virginem dominam obtrectando gratam ultionem qvæsiverunt x). Qvando autem virgines subintroductæ ecclesiam peterent, viri cohabitantes ante foras sacrarum ædium eas hoc obseqvio delinitas exceperunt, & veluti vitæ socias coram omnibus ostentando gloriam qvæsivissent, eunuchorum munere functi obvios submoverunt y).

Ex hac igitur conseruudine plurima castis moribus detrimenta fluxisse, sponte intelligitur. Qvamvis vero nihil libidinosum admitteretur, hoc tamen

viris

u) Ibid. B.

v) Chrys. vol. 1. p. 242. B. C.

x) Ibid.

y) Ibid. p. 243. A.

viris illo commercio fruentibus accidisse Chrysostomus annotavit; qyod scilicet viri perpetua cum virginibus confabulatione emolliti, circulatores sordidique evaserint, & lingua loqvacitate muliebri infecta, de staminibus & lanis continuo differuerint z). Ipsas qvoqve virgines hoc consortio in pejus fuisse mutatas idem contendit: "qvamvis enim foeminæ ita essent comparatae, ut qvosvis obvios studiosissime venantes; tantummodo cultores sibi deditos arroganter contemserint; attamen virgines subintroductas ornatum adhibuisse ambitiosum, & incessum mollem, & plurimas toto die nugas fudisse, ut viros, qvos clam irriferint, in servitute sibi commoda contine-rent a)."'

Ex alia parte complures foeminæ regulares dictæ, qvæ virginitatem, sive nuptias fastidiverint vulgares, sive gloriam inanem qvæsiverint, sponte elegerant, viros sibi haud cognatos in ædes suas receperunt b). Multæ qvoqve matronæ, conjugio junctæ, maritos suos, nullo impediente, sub specie continentiae deseruerunt; ut conservudine hominum sortis vilissimæ aut servorum libere fruerentur c). Vir igitur cohabitans toto die virgini lanas facienti assedit, nocte in cubiculo decubuit, qvod paries intergerinus a thalamo

z) Chrys. vol. 1. p. 244. D.

a) Ibid. p. 245. A.

b) Ibid. p. 250. E.

c) Hieron. ep. 128. p. 959. A,

lamo virginali sejoxit. Sæpe itaque nocte media cum preces more monachorum fundenda fuissent, aut hic aut illa surgens ad alterum confabulandi gratia transit; sæpe si dolor subitus virginem forte invaseret, ancillis tardius accurentibus, mox præsto erat contubernialis, & inter ancillas parum vestitas sollicitus decucurrit d). Virgo autem illum hæc omnia propter timorem Dei sustinere dictitans, ut omnem suspicionis ansam præcideret, obstetrics, quæ ades suas freqventarent, mercede conduxit; quarum deinceps testimonio se estimationi suæ satis superque consuluisse credidit e).

Interea virgines hoc contubernium, nec crebris jurgiis, nec freqventi zelotypia destitutum, tantopere amantes f); summo aliis quoque viris placendi studio mundum muliebrem licet simpliciorem diligenter admodum conquisiverunt. Omnem igitur auri ornatum ceu impium fugientes, tortis crinibus tanquam indecoris damnatis, veste indeubantur admodum cærulea, quam zona cum multa accuratione ita ad peccatus constrinxit, ut nec nimium inflata turgeret, nec in tenuitatem contracta turpiter hiareret, sed medium obtinens plurimis in sinu rugis gratum aspectum præberet.

d) Chrys. vol. I. p. 264. aliquis nostratum caput ancillarum apertum & manus nudas veluti visu indecoras in hac Chrysostomi descriptione commemorari miraretur.

e) Ibid. p. 251.

f) Ibid. p. 265. B.

beret. Dein faciei diligentissime ablutæ velamen a fronte obtendit, cujus candorem palliolum nigrius superne impositum adhuc gratiorem reddere videbatur; hujus vero grandioris pallioli laciniae ita virginali industria fuerant compositæ, ut a tergo volitantes, elegans pectorale & cinguli concinnitatem prætereuntium admirationi patentia sponte reliqverint. Manicæ præterea manus tragœdarum more tam concinne texerunt, ut fere innatae viderentur. Denique calcei præacuti nigro colore fulgentes pedes virgineos condecoraverunt g).

C A P . V.

De rebus domesticis, vestitu & aedificiis.

Omnes rei domesticæ & familiæ gubernandæ cura uxori semper incubuit a), qvam ipse maritus dominam compellavit b). Qvo vero numerosius servitiorum examen, qvo plura in usus domesticos domi familij opera confecta fuerunt, tanto gravius hoc negotium ea ætate exstitisse videtur. Divites enim maximos

g) Chryf. vol. II. p. 591. D. E. 592. A,

a) Chryf. vol. I. p. 354. E.

b) Hieron. vol. 2. p. 314.

maximos barbarorum greges c) bello captos, singulis, num sibi hero servire vellent, pro more interrogatis d), a militibus emere consueverunt. Postquam emitis mancipiis nomina nova imposuerant e), aut iis veluti fabricensibus ad varia opera usi sunt, aut diligenter auro ornatos f), luxuriae & superbie ministros g) adhibuerunt: nec facile domum quantumcumque felicem reperire licuit, cui non adessent amphorarius, furnarius & mensæ structor, omnes e gente Schytica, præter pedissequos, qui lectulos plicatiles, requiem domino iter facienti præbituros, succollarent h).

Materfamilias igitur sollers & frugi barbararum puellarum examina nuper emta ad lanificium & alia ministeria magno cum labore eruditivit i): colum præterea sumens, & telæ intenta, ancillis nentibus pensa distribuit k): in culina quoque desudans, inter cerebra convivia coquos & mensæ structores imperio rexit l);

&

c) Chrys. vol. 4. p. 376. E. commemorantur mancipiorum greges, Chrys. vol. 7. p. 633. C. Homo dives duo aut tria millia servitorum interdum alebat.

d) Chrys. vol. 2. p. 242. D.

e) Ibid. vol. 3. p. 121. A.

f) Chrys. vol. 8. p. 157. C. vol. 9. p. 626. C.

g) Chrys. vol. 5. p. 521.

h) Synef. de regno p. 23. D.

i) Chrys. vol. 1. p. 242. C.

k) Chrys. vol. 3. p. 217. A.

l) Chrys. vol. 1. p. 242. B. Quidam materfamilias ungventa

& penuaria opum & vestium tanto magis referta, qvo minor opportunitas talia coemendi adesset, perpetua custodia a servorum rapacitate servavit m). In servorum qvidem ministerio adhibendo matrona, ne suspicionem conjugis excitarer, paullo cautior esse solebat n); in servas vero magnam potestatem exercuit. Mulier igitur iracundior miseras ancillas ita saepius vexavit, ut, aedibus forte in angiportu sitis, prætereentes clamantem dominam & ancillam ejulantem coram audiverint; qvin eo usqve dominæ furor grassatus est, ut, nudis puellis inter convicia plurima ad lecticam alligatis, maritum arcetiverit, qvo veluti lictore plagas incutieras curaret: dein puellæ dominam ad balnea secutæ vobices crudelitatem herilem coram omnibus fecere testaram o).

Præter hæc negotia domestica matrona, aut passeris magno studio alendo, aut aves loqui docendo p), aut pavonum cura q) tempus terere studuit; qvod quidem foemina domi ut plurimum remanens r),

semper

confecerit, copiose describitur Chrys. vol. 1. p. 142. A, atramen adfuerunt officinæ ungventariæ Chrys. vol. 8. p. 313. C.

m) Chrys. vol. 1. p. 242. vol. 3. p. 217. E.

n) Chrys. vol. 11. p. 152. C.

o) Chrys. vol. 11. p. 112. E. p. 113. A. aliud sc̄vitix documentum narratur ibid. p. 114. B. C.

p) Chrys. vol. 9. p. 266. B.

q) Chrys. vol. 2. p. 121. C.

r) Chrys. vol. 4. 352. A. vol. 8. p. 365. D.

semper a theatris s), s̄epius a conviviis abacta, in gynæcæo aut triclinio matronali a viri mansione in Occidente t) æque ac in Oriente sejuncto, haud pa- rum solitaria degisse videtur. Nihilominus tamē, si foras prodirent, sumtuosissimum mundum muliebrem ostentandi ardor nondum in illis desetuerat.

Hinc igitur matronæ ditiores erinæ diligenter exornantes, capillis adulterinis verticem struxerunt turritum, cujus præalta compages acubus aureis retinebatur u). Aliæ cœsariem, qvam flavo colore tinxerant, trans linum tenuissimum facile pellucentem ita velo aliquæ ex parte texerunt, ut obviam factis & labor & diligentia hic consumta facile apparuerit v). His mitra plurimis rugis artificiosa capitis regumen-

tum

s) Chrys. vol. 4. p. 729. A. vol. 11. p. 417. E. attamen hoc forsitan ad partem imperii orientalem restringendum, siqvidem Ammianus Marcell. lib. 28. cap. 4. vol. 2. p. 159. matronas Romæ spectaculis nsidentes commemo- rare videtur.

t) Sidon. Apoll. lib. 2. ep. 2. & not. Savar. p. 114. edit. Parisiis 1609.

u) Hieron. vol. 1. ep. 130. p. 978. B. Chrys. vol. 4. p. 381. A. Pontius Paulinus poemæ 24. epithal. Juliani edit. Marat. v. 79. impr. v. 85-87. monet foeminam, ut nimium in vestibus cultum fugiat.
Nec implexarum strue tormentoque comarum
Turritum sedens ædificata caput.

Claudian. in epithal. Honorii acus commemorat. v. 284.

Greg. Naz. vol. 2. p. 1536. adv. mulieres.

v) Greg. Naz. l. c. p. 1526. Pont. Paulin. l. c. v. 63.

tum præbuit x): illis coma, tegumento remoto, aut auro structa, aut omnino soluta, hinc illinc pendens, ventis agitata circa humeros subfultavit y). Imas quoque auriculas perforantes inaures pro more appendebant, auro & margaritis tam pretiosas, ut sanctus Chrysostomus mille pauperum alimenta in singulis auribus suspensa esse, ira percitus clamitaret z). Orbis præterea oculorum stibio dilarare conservaverunt, ut pulchrius niterent a). Nec faciem suam herbis, aut nitro, aut remedii similibus diligenter expolivisse satis ducentes b), triplici artificio usi c), nigro quidem pigmento supercilia & palpebras d), rubro genas e), albo reliquam faciei partem una cum collo conservetudine omnibus, ut videtur, communi illeverunt; eius moris fuerunt tenacissimæ, quamvis concionatores & patres ecclesiæ omnem contra moverint lapidem. Ita enim Chrysostomus pro concione loquens mulieres exagitavit, quæ quasi lutum statuæ aureæ illinentes, terram partim rubicundam, partim candi-

x) Hieron. ep. 54. p. 284. A.

y) Greg. Naz. l. c.

z) Chrys. vol. 7. p. 836. E. enfr. id. vol. 4. p. 381. B. vol. 2. p. 241. B. p. 242. C. Greg. Naz. lib. cit. p. 1531. D.

a) Hieron. vol. 1. ep. 54. p. 284. A.

b) Athanas. de virgin. edit. Parisiis 1698. vol. 2. p. 116. D.
Hieron. ep. 130. p. 978. B. p. 988. E.

c) Basilius Mag. ex edit. Bened. vol. 1. p. 407. B.

d) Greg. Naz. l. c. Chrys. vol. 11. p. 590. C.

e) Hieron. ep. 130. p. 978. B.

candidam sibi ipsi inferrent f); & labia foeminarum
fuco rubentia ori ursæ cruentatae similia, supercilia
atra qvæsi ex ollæ fuligine fôrdida, genas veluti se-
pulcrorum parietes illitas describendo, frustra desu-
davit g). Ita Hieronymus, ut coeteros h) omittam,
sacro fervore ardens dixit: "Qvid faciat in facie Chri-
stianæ purpurissa & cerussa? Qvomodo flere potest
pro peccatis, qvæ lacrymis cutem nudat, & sulcos
ducit in facie? Qva fiducia erigit ad coelum vultus,
qvos conditor non agnoscit i)?" Paullo vero soller-
tius rem Chrysostomus peragendam aggressus, mari-
tis consilia laud inepta, qvibus uxores ad pigmenta
abjicienda pellicerent, pro concione loquens, oratio-
nibus suis suppeditavit k). Svasit igitur, ut uxores
admonituri viam pedentim carperent, ne convitia
temere effutiendo, & tormenta tartari iis qvoridie
minando, operam & oleam perderent: sed primum
qvidem alias foeminas ob pigmentorum usum vitu-
perarent; dein hoc qvadornamenti genus sibi om-
nino displicere affererent, tum illas fuco carentes
multo sibi gratiiores futuras, nec se solos ita sentire,
sed mulierem judicio omnium faciem suam fricando
& illinendo pulchritudinis suæ jacturam facere con-
tende.

f) Chrys. vol. II. p. 571. F.

g) Chrys. vol. 7. p. 355. A. vol. 3. p. 176. D.

h) v. c. Greg. Naz. I. c. & Pontius Paulinus lib. cit. v. 63-64.

i) Hieron. vol. I. ep. 54. p. 284. B.

k) Chrys. vol. 7. p. 354. A. seqv.

renderent; hæc sèpius ingerendo, hæc identidem auribus insuffrando, pertinaciam uxoris forsitan aliquando victuros.

Mulieres vero istius aetatis nullam facile rem, quæ formæ venustatem adderent, cum fastidio exceperunt; ut adeo nonnullæ ligna aliasque res ab esu alienas manducaverint, ut salivam his elicendo os redde-rent vegetius l). Nec reliquæ partes corporis ornata suo caruerunt. Collum nobilis foeminæ monile aureum gemmis distinerum m), aut catena, auro in virgulta lentescente, multis orbibus contexta, quæ mureñula dicebatur, ambire solebant n). Aureæ quoque catenæ manus pedesque circumdederunt o); digiti ita annulis aureis erant onusti, ut eos Chrysostomus deauratos vocaret p); & totum corpus, largis ungventis delibutum, fragrantiam pretiosissimam spiravat q).

Nec

l) Greg. Naz. lib. cit. vol. 2. p. 1531.

m) Chrys. vol. 2. p. 241. E.

n) Hieron. ep. 24. p. 127. C.

o) Greg. Naz. I. c. Basil. Magnus vol. 2. p. 55. D. Chrys. vol. 8. p. 367. B. C.

p) Chrys. vol. 5. p. 512. D. p. 513. D.

q) Greg. Naz. I. c. Mulieres unguento barbarico veluti oleo ex foro allato urebantur Bas. Magn. vol. 2. p. 55. B. Pont. Paulin. lib. cit. 83.

Tunc neque odoratis vaga vestibus atque capillis
Naribus agnoscique, gradire velis.

Nec minor vestimentorum cultus, qvem qviledem leges imperatorum, si edicta de usu prohibito vestium purpura infucata tinctarum r) & Paragaudarum auratarum excipias s), nullæ coercuisse videntur. Si igitur foemina nobilis per plateas incederet, vestes sericas subtilissimæ texturæ varietate artem pictoriæ ementitas t) gerere solebat u); ita ut pueri obviam illis facti, magna corona attoniti cinixerint, & intextas vestibus figuræ admirati, nunc leones, urfos & pantheros, nunc silvas & viros per saltus venantes, multifariam denique rerum locorumqve imitationem digitis monstraverint. In vestibus vero matronarum, qvæ sese religiosiores profitebantur, Christum cum discipulis depictum & varia miracula patrantem cernere licuit: & nuptias forte Galilææ cum hydriis, & paralyticum lectum suum auferentem, omnia variis coloribus intexta gestantes, se pio indui amictu crediderunt, qvamvis concionatores monerent, melius esse coecum viventem beneficiis solari, qvam vestibus circumferre depictum v). Aliæ vestibus aut

totis

r) Cod. Theod. lib. 10. tit. 21. lex. 9.

s) I. c. lex. 1 - 2.

t) Hæc vestimenta dicebantur serica signillata, Cod. Theod. lib. 15. tit. 7. lex. 11. & Gothof. ad loc.

u) Plurima de vestium versicolorum ante Constantini æratem usu Spanheim eruditissime disseruit in annotat. 546 - 947. ad Jul. Cæsares, versionem Gallicam.

v) Asterii homil. in div. & Laz. p. 3. edit. Combeffisi Parisis 1648, ibid. p. 6. Chrys. vol. 4. p. 381. A.

totis aureis, aut sericis auro permixtis amictæ x), & balnea & ecclesiæ perierunt y). Hanc vero luxuriam reprehendenti in promptu erat responsio, aurea non consumi; quamvis hujusmodi rerum peritiores assererent, & aurum, & lapides in balneis alibiique multum de pretio perdere z); multæque foeminæ, aut summa sua incuria, aut furantium foeminarum arte spoliatae a), pretiosissimi mundi muliebris jacturam, domum reversæ, deploraverint. Commemorantur quoque vestes sericæ, aut nudæ, aut coloribus variegatae, crustæ, in quibus color purpureus cum alio erat permixtus, & scutulatae, crebris quadris aut orbiculis distinctæ b), tanquam pretiosiora vestimentorum genera. Calceamentorum denique curam haud exiguum gesserunt c), ut gratus nitor, & opera acupienta d), perstringerent oculos, & calceoli ob soleam subere suppactam eleganter striderent e). Hujus omnis

x) Chrys. vol. 3. p. 400. B. vol. 4. p. 152. B. Foeminis divitibus communis erat hæc luxuria Chrys. vol. 12. p. 266. C.

y) Chrys. vol. 7. p. 835. C. p. 837. D. vol. 11. p. 279. A.

z) Chrys. vol. 11. p. 279. A.

a) Chrys. vcl. 1. p. 319. E.

b) Cod. Theod. lib. 15. tit. 7. lex. 11. & Gothof. ad locum.

c) Chrys. vol. 11. p. 591. C.

d) Chrys. vol. 7. p. 510. C. calcei acu picti muliebres dicuntur.

e) Hieron. ep. 54. p. 284. A.

nis mundi muliebris vim varia adhuc artis lenocinia magnopere auxisse, patres ecclesiae, asperiores boni honestique judices, acerbe conquessti sunt; & vocem foeminarum fractam, enervatam f) & confitam, aspectum lubricum nutibus loquentem, summum in vestitu componendo & zona cingenda artem, delicatum denique incessum ad nutus histrionis magistri compositum, tanquam artes ad viros venandos ex cogitatas concionando scribendoque notaverunt g).

Tandem matronæ generosæ sumnum erat votorum mulis albis in foro circumvehi h), hoc in primis fastigio præ aliis eminere cupiit, hoc efflagitando matriti aures quotidie obtudit i); nec illi somnolentiam, si forte rem familiarem minus æquam obtenderet, reprobrare cessavit, fortem vicinæ laudans, quæ conjugem magis strenuum nacta, proprio jam gauderet carpento k). Hoc vero imperato, mulier mentem ad fræna deaurata mox adjicere l), de aulæis, lignis-

qve

f) Chrys. vol. 3. p. 565, E. Hieron. ep. 22. p. 112. C.

"Mulieres nunc strictis dentibus, [nunc labiis dissolutis]
"lingvam balbutientem in dimidiata verba moderantur,
"rusticum omne parantes, quod nascitur."

g) Hieron. vol. 4. in Es. 3. p. 60. B. C. Cyrillus Hierosolymitanus edit. Toutee p. 181. A. Chrys. vol. 1. p.
565. E. vol. 11. p. 591. C.

h) Chrys. vol. 1. p. 322.

i) Chrys. vol. 3. p. 176. D.

k) Chrys. vol. 11. p. 153. A.

l) Chrys. vol. 3. p. 176. D.

que vehiculi, ipsisqve inulis plurimo auro exornatis agere m), & eunuchorum obsequium & concomitantes ancillarum greges postulare n). Hisce vero rebus semel assveræ nunquam deinceps, nisi esseda concomitatusque præsto essent, plateam transfire potuerunt o). Talem matronæ romanæ pompam Ammianus Marcellinus describens "domesticorum agmen exercitus cujusdam speciem referre" ait. "Procuratores familiæ præpositos, virgis insignes, familium suspensum sollicite digerere, juxta frontem vehiculi omne ministerium textrinum collocare, huic atratum coquinæ adjungere, dein promiscue servitium seqvi cum plebejis otiosis de vicinitate conjunctis, ultimum locum multitudinem spadonum obtinere obluridam, & distorta lineamentorum compage deformem p)." Talem vero jactantiam muliebrem, in ecclesiis q) foro r) & balneis eminentem, plurima invidia pone secuta: hinc pørro discordia conjugum, neglectus liberorum, & præceps rei familiaris ruina, dum uxor aurum, quo maritus negotiaretur, ostentando consumeret s); ipse vero maritus, ornatu uxo-

H 2

rio

m) Chrys. vol. II. p. 279. A.

n) Chrys. vol. 3. p. 176. D.

o) Chrys. vol. I. p. 322.

p) Amm. Marcell. lib. 14. cap. 6. vol. I. p. 20 edit. Bip.

q) Chrys. vol. II. p. 527. A.

r) Chrys. vol. II. p. 403. E.

s) Chrys. vol. 8. p. 367. B. C. vol. II. p. 279. B. Bas.

Magn. vol. 2. p. 55. C.

rio stulte superbiens, mulierem ad majorem luxuriam interdum stimularet r).

Verum enim vero pestis luxuriæ mulieres nequam solas rabe sua infecerat; nam viros etiam occupans tanto perniciosius grassata est, quanto plura ambitu suo complectebatur. Vester quidem serice u), & ungventorum frangrantia v), & amictus inauratus x) viris foeminisqve communia fuere. Sæpe viri quoqve optimates vestibus sigillatis præ hominibus plebejis eminuerunt y); sæpe etiam illos cum aureo ornatu in ecclesiis sedentes concionatorum voices asperime increpauerunt. Nonnulli præterea stola induit, qvæ binis ternisve tunicis superinducta ad malleolos usqve deflueret, aurum in capite, aurum in calceis gestaverunt z). Adolescentes vero delicatuli, si forte fulgentes calceolos, in qvibus fila serica assuta hederæ speciem effinxissent, nacti fuissent, se gloriam solidam assecutos opinati sunt a).

Multo

t) Chrys, vol. II, p. 102, A.

u) Chrys, vol. I, p. 12, B, vol. 9, p. 61, C.

v) Chrys, vol. I, p. 718, D. vol. 2, p. 686, C, vol. 5, p. 44, A.

w) Chrys, vol. 5, p. 521, C.

y) Asterius hom. in div. & Laz. p. 3. conspirat cum eo Ammian. Marcell. lib. 14. cap. 6. p. 18.

z) Chrys, vol. 9, p. 61, C, vol. 5, p. 521, C, vol. 11, p. 278, C.

a) Chrys, vol. 7, p. 510.

Multo igitur minus vehiculorum luxuria viros
moderatores experta est; sed illis plurimi & eqvi
& muli aderant, auro sponsorum instar, ut ait Ba-
filius b), ornati; currus porro haud pauci, præal-
ti c), laminis argenteis obducti d); & eqvo aut cur-
ru vectos e) maximæ famulorum catervæ hinc illinc
comitantes, homines e plebe obviam facros superbe
abegerunt f). Verum enimvero viri sumtus multo
adhuc plures, ut divitias ostentarent, excogitaverant.
Hic onagros, ursos & varia ferarum genera pavit g),
ille canes permultos venatorios aluit h); fatuos, na-
nas aliaque hominum monstra aliis voluptatis causa
undique conquisivit i); nonnulli, ut stomachans refert
Chrysostomus, veris hominibus contemtis, aurum
immensem impenderunt, ut homines lapideos (sta-
tuas marmoreas) nanciscerentur k); omnes vero in
ædibus suis splendide exornandis & supellectili com-
paranda

b) Baf. Magn, vol. 2. p. 53. D, cnfr. Chrys. vol. 1. p. 702.
B. vol. 5. p. 514. A. vol. 8. p. 157. C. Chrys. 3. p.
446. D.

c) Amm. Marcell. lib. 14. cap. 6. p. 18.

d) Chrys. vol. 9. p. 626. C.

e) Chrys. vol. 1. p. 28. p. 72.

f) Chrys. vol. 5. p. 520. D. Amm. Marcell. lib. 28. cap. 4.
p. 153.

g) Chrys. vol. 8. p. 282. B.

h) Chrys. vol. 8. p. 487. C.

i) Chrys. vol. 11. p. 565. E.

k) Chrys. vol. 8. p. 487. C.

paranda pretiosissima ingentem consumserunt pecuniam. Nec aliquis paullo ditior vitam satis commoda agere existimabatur, nisi domum posideret opere musivo auroque exornatam, & ita ad anni tempestates compositam, ut pars aedium hiberna calorem, pars aestiva frigus ipso situ suppeditaret 1).

Domum m) igitur cuiusdam ex optimatibus, in trium quatuorve tabulatorum altitudinem exstructam n), peregrinus quidam forte ingrediens, jam in ipso limine spatio vestibili operum admiratione percelebatur. Praeterea cernebantur columnae o) marmoreæ, longo ordine dispositæ, quibus aureæ plerum-

qve

- 1) Asterius Homil. in div. & Laz. p. 7. C. Multi Antiochenes domos decen vel viginti & balnea totidem possidebant. Chrys. vol. 7. p. 633. C.
- m) Ad totum hunc locum de luxuria in edificiis exornandis conferatur in primis Greg. Nysse oper. Parisis 1615. p. 399. A. seqv.
- n) De Antiochia Chrys. vol. 7. p. 533. D. Qvod edificia Romæ ad miram altitudinem fuerint exstructa, vel ex Strabone patet de situ orbis lib. 5, qui edictum refert Augusti, ne q̄a domus ultra 70. pedes assurget. Plura testimonia ea de re collegit Hume essays vol. 2. not. 241. edit. Lond. 1770. Iure vero idem contendere videtur, paucas domus in tantam altitudinem creuisse. De Constantinopoli Claudi. in Ruf. lib. 2. v. 135. "Quid pro late juvant ad sidera moles". Praeterea Constantinus in nova urbe condenda splendorem Romæ veteris in omnibus rebus aseqvi conatus est.
- o) Chrys. vol. 5. p. 516. C.

qve capitellæ p), idemque metallum totas interdum operuit q). Parietes crustis marmoreis splendebant r); hic lapis Lacedæmonius, Thessalus & Carystius, illic marmora Niliaca & Numidica una cum petra Phrygia, qui candorem purpura temperaverat, oculos avidos oblectabant, florida vero pictura, quidquid parietum non erat incrustatum, diligenter exornaverat s). Pasim quoque ornamenta eburnea t) eminuerunt, & si quid cælaturæ adesset, aut aurum illitum u), aut argentum clayis affixum, artis vim pretio auxerat. Inde hospes dominum petens, qui tabulatum secundum occupasse videtur v), per atria vadit columnis purpureis effulta x), infra pavimentum tessellatum y), supra rectum deauratum z) oculis attonis perlustrans. Alia dein tectorum miracula rerum novitate festinante qvamvis remorabantur: nunc enim ligna cedrina

in

p) Chrys. ibid. vol. 9. p. 530. B.

q) Chrys. vol. 7. p. 796. C.

r) Chrys. vol. 2. p. 27. E. vol. 5. p. 516. C. Ann. Marcell. lib. 28. cap. 4. vol. 2. p. 154.

s) Bas. Magn. vol. 2. p. 54. A. Chrys. vol. 2. p. 657. B. p. 716. B.

t) Hieron. in Es. 24. vol. 4.

u) Chrys. vol. 2. p. 294. B. "trabes deauratae" vol. 11. p. 279. E. "aurum muris inspersum."

v) Hoc elici posse videtur ex Chrys. vol. 5. p. 515. E. vol. 4. p. 669. B. vol. 9. p. 343. D.

x) Claudian. in Ruf. lib. 2. v. 135.

y) Bas. Magn. vol. 2. p. 54. A. Chrys. vol. 2. p. 657. B.

z) Basili. ibid. Chrys. vol. 1. p. 88. A. vol. 12. p. 326. C.

in ramos, folia & fructus subtilissime exsecta, speciem silvæ maternæ referre visa sunt, & aurum in membranas ærias dissecurū pretioso suo tegumento omnia obduxerat; nunc arbores opacæ inter laquearia inclusæ in ipsa hieme umbram æstivam & vernulum avium concentum advenæ, delicias domini miranti, præbuerunt a). Ad hæc pulchræ accesserunt fenestræ b), in qvibus vitri puritas coloribus fucata divites talium rerum studiosos nova inventione deliniverat.

Statuæ in omnibus ædium angulis collocatæ, Deorum nempe Dearumqve simulacra c) aut ære fusa aut lapide excisa, non minus ac picturæ pulchritudinem nudæ formæ imitatæ, mentes pias sacra indignatione compleverunt. Porticus vero, qvæ Numidicis, Thessalicis aut Ægineticis columnis innixa circa ædes cucurrit, tot sæpius jugera ambitu complexa est, ut illarum mensuram si in agris consul priscæ Romæ possedisset, amisisset etiam post dictaturam paupertatis gloriam d). Aliæ ædes ad deambulandum

a) Rutilii Numat. itinerarium, ex computatione Scaligeri an.
416. suscepimus lib. I. v. III.

b) Chrys. vol. 5. p. 517. A. cnfr. Chrys. vol. 10. p. 92. A.

c) Chrys. vol. II. p. 279. C.

d) Amin. Matcell. lib. 23. cap. 4. vol. 2. p. 291. edit.
Bip. — Photius in bibliotheca ex fragminto Olympiodori
p. 198. edit. Rothomagi 1653. refert de statu urbis Ro-
mæ cum a Gothis vastaretur "e magnis domibus qvam-
"qve

landum e), aliæ ad cursum, aliæ forsitan ad ludos
pilæ exercendos exstruebantur f); nunc largæ pisci-
næ g) & lavacra in primis spatiofa, qvæ qvidem multi
divites, qvamvis in balneis publicis lavarentur h),
maximis sumtibus in ædibus urbanis æqve ac in villis
suis i) splendidissima ædificaverant. Ne igitur divi-
tiarum ostentratio, merces ingentium sumtuum ple-
risque dulcissima, maxima ex parte periret, si cru-
stæ marmoris pretiosissimi, & opera musiva k), &
picturæ venustates, dubia tantummodo luce conspi-
cerentur, diem, qvam qvidem majores per rimas
angustas vix admiserant, nunc plurimam fenestræ
amplissimis receperunt l). Jam igitur amicis pavi-
mentum tessellatum admirari licuit, & picturas pa-
rietum oculis avidis devorare, in qvibus peritus ar-
tifex

"qve omnia intra se habere, qvæcunque mediocris etiam
"urbs habere posset, hippodromum, fora, delubra, fon-
"tes, varia balnea." Hinc scriptorem exclamasse: Εἰσ
δομος ασυ κέλει, πολιος ασεα μηρια τευχει.

e) Chrys. vol. 4. p. 457. D.

f) Sidon. Apoll. lib. 2. ep. 9.

g) Ibid. lib. 2. ep. 2.

h) Amm. Marcell. lib. 28. cap. 4. vol. 2. p. 153. edit.
Bip. etiam Gallorum optimatum, qvos commemorat Si-
don lib. 2. ep. 9. "balneas habebat uterque in opere in
"usu neuter."

i) Basil. Magn. vol. 2. p. 53. E.

k) Symm. lib. 6. ep. 49.

l) Sidon. Apoll. lib. 2. ep. 2.

tifex aut historias depinxerat obscenias, summa corporum nuditate prostantes, aut histriones vestitu & vultibus ridiculos pigmentis multicoloribus variegaverat, aut lubricos efformaverat palæstritas his nexibus involutos, qvos casta gymnasiorum virga confessim dissolvisset m).

Ædibus hunc in modum exornatis de supelletili & multa & pretiosa comparanda proxima domini cura versabatur. Ut de omni conviviorum apparatu raceamus, candelabra aurea lucem fundebant n), pavimentum tapetibus stratum o) nec divites stragulis pretiosissimis carere fustinuerunt, qvibus imas sedes ac scaena, lectos, thoros, januas, omnia deneque syadente luxuria veluti vestirentur p). Sordebat adeo nonnullis lecti eburnei q) & laminis aureis obducti r), dum etiam argento solido conficerentur s), aut argento nexo auro simul fulgerent t). Plurima qvoqve instrumenta, qvæ ratio usus domestici postu-

m) Sidon Apoll. 1. c. Symmachus lib. 7. ep. 18. rem singularem narrat de balneo cuiusdam amicorum hunc in modum exstructo, ut torris unus ad justi caloris pabulum satis faceret.

n) Chrys. vol. 1. p. 149. C.

o) Chrys. vol. 5. p. 516.

p) Citerii hom. in div. & Laz. p. 7. D.

q) Chrys. vol. 2. p. 777. A. vol. 11. p. 101. B.

r) Chrys. vol. 5. p. 500. E. vol. 7. p. 265. A.

s) Chrys. vol. 2. p. 777. A.

t) Chrys. vol. 5. p. 521. E.

postularet, pretioso metallo nituerunt. Ita amphoræ una cum ollis & alabastris sæpius fuerunt aureæ u), seabella vero, cathedræ, pateræ v), libetes, suppedanea una cum multis vasorum generibus ex argento facta commemorantur x); qvin mulieres, qvod quidem pius Chrysostomus pro concione loquens veluti summam impotentiam acerrime impugnavit y), matulis ex argento confecitis usæ sunt. Tandem non nulli etiam libros coemendo opulentiam suam ostentare voluerunt, & membranarum tenuitatem & litterarum pulchritudinem scrutati, ipsa volumina accuratissime ligata & in scrinia deposita legere neglexerunt. Hanc scilicet gloriam ambientes, ut in circulis jactare possent, se libros permultos non quidem legisse, sed litteris aureis scriptos possidere z).

a) Chrys. vol. II. p. 377. D.

v) Chrys. vol. II. p. 378. B.

x) Chrys. vol. 2. p. 777.

y) Chrys. vol. II. p. 377.

z) Chrys. vol. 8. p. 188. A. Isidori Pelusiota ep. 127. lib. 1. in hominem inductum multos libros coementem, ex quibus nullam perciperet utilitatem. Id. lib. 1. ep. 399. aliquem increpat, qui libros possidens nec ipse legeret, nec iis, qui legendi desiderio tenerentur, impertiret.



C O N S P E C T U S .

C A P . I .

Recensentur mores senatorum Roman. (pag. 5 - 7),
palatinorum, addita descriptione luxus imperatorii (7 - 12).
Conditio plebis utriusque Romæ (12 - 13). Status provinciarum externus (14 - 17); status internus, coloni, carceres (17 - 20). Observationes generales (21). Automatae clericorum, quomodo creverit (22 - 23); comparatur cum autoritate philosophorum ætate Juliani (24 - 25). Clericorum virtus (25 - 28), virtutes (28 - 30). Disciplina Christiana quomodo efformata, qualis (30 - 32). Varia etatis superstitionis (32 - 33), reliquia paganismi (33 - 38).

C A P . II .

Cura circa parvulum (38 - 40). Ludi litterarii (40), pedagogi (41 - 42), plagiarii (42). Grammatici (43 - 44), artium mechanicarum magistri (44). Patrum societatis (44 - 45). Educatio matribus cominiaria, quo effectu (45 - 46). Academiarum (47), Romæ (48 - 49), Athenis (49 - 51), Constantinopoli (51 - 52). Rhetores quales, qua conditione & autoritate usi (52 - 55). Eorum declamationes publicæ (55 - 58), docendi methodus (58 - 61). Musica & Gymnastica (61 - 62). Philosophia & doctores, eorumque mores & disciplina (62 - 66). Schola Alexandrina (66 - 67). Pergamenta (67 - 68). Tempus huic disciplina assignatum (68 - 69). Studia adolescentium (69 - 70). Jurisconsulti (71 - 73). Educatio & asperitas monastica (73 - 75).

C A P . III .

Cura puellarum (75 - 77). De educatione illarum, quas Deo dicaverant parentes (77 - 80); earundem vivendi ratio ejusque causæ (80 - 82), facta modestia (82 - 83), vestitus (83 - 85), numerus (85).

C A P . IV .

Conjugia priscorum Romanorum (86 - 87). Ætate Theod. matrimonia sera (87 - 88), quo ambiente inita (88 - 89), pacta nuptialis (89 - 91). De benedictione sacerdotali (91), ritus nuptiales (92 - 96). Vita conjugalis (96 - 97), discordia conjugum (97 - 98), amor in servas ferrosque (99 - 100). Virgines subintroductæ (100 - 103). Foeminae regulares (103 - 105).

C A P . V .

Autoritas & studia matrisfamilia (105 - 108), ornatus capitinis (108 - 109) pigmenta, patrumque de his sententiæ (109 - 111), mundus muliebris (111), vestitus (112 - 114), carucæ (114 - 116). Virorum luxuria (116 - 118). De ædificiis & suppeditili (118 - 123).

Ha 2136

8°


ULB Halle
007 245 807

3



ark

Farbkarte #13



B.I.G.

TIO HISTORICA
DE
RIBUS ET LUXU
IEODOSIANI

J T O R E
ASMO MULLER,
NIENSIS,
LOS. DOCT.

PICTULA I.

MDCCXCVII.
SCHULZII
TERI BIBLIOPOLAE LIPSIENSIS.